




SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

Quaestiones Horatianae.

Scripsit

Alfredus Weinhold.

Commentatio annalibus scholae regiae Grimensis addita.

Grimae,

Typis C. Roessleri.

A. MDCCCLXXXII.

1882. Progr. № 479. II: Abhandlung.



Quaestiones Horatianae.

Scripsit

Alfredus Weinhold.

Commentatio annalibus scholae regiae Grimensis addita.

Grimae,

Typis C. Roessleri.

A. MDCCCLXXXII.

Ch Y. 700

1882. Oct. 14.
Salisbury Fund.

Cum ab eis studiis, quibus magno quondam amore me dedissem, multitudo munerum et vicissitudo, corporis infirmitas, rerum iniquitas tam diu me distinuisset, ut non mediocrem partem eorum, quae, plura fortasse et viribus maiora, tractare constitueram, ab aliis mihi praeripi viderem, frustula autem eorum ut proferrem, a me impetrare non possem, ubi munus libello anniversario commentatiunculam adiciendi mihi impositum est, quaestiones Horatianas promisi. Neque vero id mihi sumo, ut hac in re magna profitear; sed quia Horatium legenti non pauca mihi occurrerant, de quibus cum hominibus doctis non consentirem aut in tanta et tam ampla explicationum copia haererem, verendum non putavi litterarum Horatianarum amplitudinem paucis pagellis augere. Difficilem etsi rem quaestiunculis illis me aggressum esse intellexi atque difficiliorem, quam ipse putaveram, quippe quod difficilius esset rem non recte expositam esse intellegere, quam via et ratione meliora disputare, promisso standum esse putavi, id certe emolumenti studiis Horatianis oriturum ratus, ut nonnulla, quae inprimis cura digna viderentur esse, iterum in iudicium hominum doctorum vocarentur; qui si nonnulla a me probabiliter disputata censuerint, gaudebo, si minus, veniam peto pollicitus tempora si meliora venerint viresque firmiores, plura me et meliora in medium prolaturum.

Quotiescunque legebam carminum Horatianorum libri primi tertium et libri secundi quartum decimum, haerebam in vocibus „dissociabilis“ et „illacrimabilem“, in quibus explicandis homines docti tam parum inter se consentiunt, ut utriusque modo hanc modo alteram significationem comprobari videamus. Iam enim a Perizonio ad Sanct. Min. I, 15, 4 demonstratum est adiectiva in *bilis* cadentia etiam *activa* sententia usurpari, plura de hac re disputavit C. L. Rothius in excursu ad Taciti Agr. XXIII, p. 211—212: reliqui, qui secuti sunt, duplicem horum adiectivorum significationem pro re explorata et certa, quod sciam, acceperunt. Illud tamen nunquam a me impetrare potui, ut tam late illum usum patuisse putarem, ut Romani omnibus adiectivis, quae *bilis* syllabis terminarentur, et activam et passivam notionem subesse censerent, non aliter ac si nos adiectivis nostri sermonis in *bar* exeuntibus vim activam subiceremus. Quam quidem suspicionem re probari puto. Itaque primo loco omnia adiectiva, quae passiva tantum notione usurpantur, posui, altero loco ea, in quibus etiam activa vis inest, aut quae-pauca ea sunt-activam tantum significationem habent, addidi, ita ut, si quid de singulis monendum esset, statim de eis disputarem. Poetarum et scriptorum orationis solutae usum non seiunxi, quia utrique in ea re similiter versati sunt et Horatio certe idem licebat quod illis; omnes autem scriptores coniunxi,

qui ante aetatem Hadriani fuerunt: quamquam qui ultimi eorum sunt, iam liberius in illis adiectivis usurpandis videntur egisse. Additamenti loco subiungere institueram seriem adiectivorum, quae apud posteriores inveniuntur, sed omisi, quia ab Horatiana quaestione aliena sunt: id dico animadvertendum esse, usum illorum adiectivorum in dies frequentiorem factum, inprimisque scriptores ecclesiasticos incredibili quodam eorum vocabulorum amore teneri: activae autem significationis exempla mirum in modum augeri. Omnia autem adiectiva sub unum conspectum subicienda esse putavi, ut et omnes sine opera, quid statuendum esset, iudicare possent et aliis facultas daretur ex his tabulis alia quoque, quae ad nostram quaestiunculam non pertinent, coniciendi.

Ac primum quidem haec, quae sequuntur, adiectiva, omnibus locis *sententia passiva* accipienda esse a nullo negari posse puto, quod tamen non ita a me dicitur, ut in interpretando posse nos saepius adiectivo *activae significationis* uti negem, ut affabilis, commendabilis, alia.

Accusabilis, admirabilis, adulabilis, aequiperabilis, aestimabilis, inaestimabilis, affabilis, agitabilis, inagitabilis, allaudabilis, alternabilis, amabilis, inamabilis, arabilis, ascendibilis, aspectabilis, aspernabilis, aversabilis, castigabilis, cocibilis, cogitabilis, incogitabilis, cognobilis, commendabilis, comparabilis, incomparabilis, comprehensibilis, computabilis, congregabilis, consolabilis, inconsolabilis, consummabilis, credibilis, incredibilis, curabilis, delassabilis, delebilis, indelebilis, desiderabilis, detestabilis, disputabilis, dissipabilis, dissolubilis, indissolubilis, domabilis, indomabilis, donabilis, dubitabilis, indubitabilis, eluctabilis, ineluctabilis, emendabilis, inemendabilis, enarrabilis, inenarrabilis, equitabilis, inequitabilis, evitabilis, inevitabilis, excruciabilis, excusabilis, inexcusabilis, existimabilis, exoptabilis, expetibilis, explanabilis, explicabilis, inexplicabilis, expugnabilis, inexpugnabilis, exsaturabilis, exscreabilis, famigerabilis, flabilis, perflabilis, flexibilis, forabilis, formidabilis, friabilis, fricabilis, glomerabilis, gubernabilis, habitabilis, inhabitabilis, honorabilis, horribilis, ignorabilis, ignoscibilis, illacerabilis, illocabilis, imitabilis, inimitabilis, immaculabilis, immedicabilis, immersabilis, immiserabilis, impenetrabilis, impetibilis, implorabilis, impossibilis, inclinabilis, indeclinabilis, indefatigabilis, indeprehensibilis, ineffabilis, inenodabilis, inexcitabilis, inexorabilis, inexpiabilis, inexplebilis, inexputabilis, inexstinguibilis, inexstirpabilis, inextricabilis, infatigabilis, ingestabilis, ingustabilis, innabilis, insaturabilis, insecabilis, insolubilis, intellegibilis, intrabilis, investigabilis, invulnerabilis, irremeabilis, irritabilis, iactabilis, iaculabilis, lacrimabilis, laudabilis, illaudabilis, mactabilis, memorabilis, commemorabilis, mercabilis, mirabilis, mobilis, immobilis, moderabilis, modulabilis, monstrabilis, multiplicabilis, mutabilis, commutabilis, incommutabilis, immutabilis, narrabilis, navigabilis, innavigabilis, notabilis, numerabilis, innumerabilis, observabilis, inobservabilis, odibilis, opinabilis, inopinabilis, optabilis, parabilis, perspicibilis, piabilis, placabilis, implacabilis, plausibilis, plorabilis, populabilis, portabilis, praedicabilis, praestabilis, probabilis, improbabilis, pugnabilis, purgabilis, quassabilis, rationabilis, refutabilis, remediabilis, irremediabilis, reparabilis, irreparabilis, resecabilis, restibilis, revocabilis, irrevocabilis, revolubilis, sanabilis, insanabilis, sensibilis, separabilis, inseparabilis, sepelibilis, servabilis, sociabilis, insociabilis, spectabilis, inspectabilis, speculabilis, sperabilis, insperabilis, superabilis, exsuperabilis, insuperabilis, inexsuperabilis, tolerabilis, intolerabilis[1]), tractabilis, intractabilis, utibilis, vectabilis,

1) Afran. com. 255 quod unum exemplum significationis activae praeter plurima significationis passivae affertur:

quod si fecissem paulo saepius, didicisset ferre et non esse intolerabilis

nihil probat; quid quod Nonius ipse haec habet: *intolerabilis,* id est, quae tolerari non possit.

vendibilis, invendibilis, verberabilis, versabilis, violabilis, inviolabilis, vitabilis, vituperabilis, volubilis.

Adscripsi *incogitabilis, commendabilis, honorabilis.* Locus enim Plauti mil. gl. 544, in quo „incogitabilis“ sententia activa accipiendum esse putant, hic est:

Meae inscitiae
Et meae stultitiae ignoscas, nunc demum scio
Me fuisse excordem, caecum, *incogitabilem.*

Ipse sibi convicium facit Sceledrus, in quo ut facilius sibi venia detur gravissimis verbis utitur: inest igitur in his verbis gradatio quaedam, ut sit incogitabilis, qui cogitari aut qui mente et cogitatione fingi vix possit, qui ad eam temeritatem progressus sit, quam credere nemo audeat. Plane enim languida et frigida esset oratio, si post excors et caecus adiectiva, satis gravia vituperandi verba, sequeretur vox, quae nihil aliud significaret nisi „non satis consideratus“.

Commendabilis autem, quod vocabulum Nägelsbach[2]). in exemplis enumerat, quibus in utramque sententiam ea adjectiva valere doceat, Liv. XXXVII, 7, 15: „multa in eo (Philippo) et dexteritas et humanitas visa, quae *commendabilia* apud Africanum erant“ in illis est, quae, licet nostro sermone adiectivis sententiae activae interpretemur, latina lingua vim passivam servare iam significavi, ita ut *commendabile* nihil aliud sit, nisi quod commendatione dignum videatur esse.

Nec magis obtineri potest *honorabilis* apud Ciceronem de sen. 18, 63 active dici: „haec enim ipsa sunt honorabilia, quae videntur levia atque communia; salutari“ etc. Licet enim vertamus *ehrenvoll,* latine honorabile id dicitur, quod ab omnibus spectatur atque honore afficitur: honorabilia igitur hoc loco significat: haec omnia laudantur atque magni aestimantur.

Sequitur ut ea adiectiva afferamus, quorum notio aut activa est, aut duplex et activa et passiva. Atque illius quidem generis adiectiva sunt: aerumnabilis, alibilis, conducibilis, delectabilis, discordabilis, durabilis, lamentabilis, elamentabilis, exitiabilis, generabilis, genitabilis, illatabilis, invitabilis, laetabilis, illaetabilis, lucrificabilis, luctificabilis, ludificabilis, manabilis, perniciabilis, perplexabilis, persuasibilis, remeabilis, sonabilis, resonabilis, significabilis, stabilis, instabilis, tabificabilis, testabilis, intestabilis, visibilis, voluptabilis.

In altero ordine ponenda sunt: aequabilis, inaequabilis, exorabilis, exsecrabilis, favorabilis, flebilis, immemorabilis, impetrabilis, insatiabilis, lamentabilis, meabilis, miserabilis, patibilis, penetrabilis, spirabilis, venerabilis (bis apud Valer. Max. I, 1, 15, II, 4, 4; saepissime autem sententia activa apud optimos scriptores).

Omisi *adiutabilis* et *adversabilis,* quorum hoc coniectura nititur, illud uno loco Plaut. Pers. 673 item ex coniectura scriptum est, altero loco Mil. gl. 1144 — quamquam ne hoc quidem loco in ea scriptura libri consentiunt — utram in partem accipiendum sit, dubitari potest.

Horum igitur adiectivorum num quae ratio sit, iam quaerendum est. Atque ut a re notissima proficiscamur, nemini est dubium, quin nobilis ad similitudinem horum adiectivorum formatum sit: quod passive primo quidem acceptum fuisse vix negabitur: tempore autem et usu notio passiva evanuit, ut in eo *neutralis,* quae dicitur, vis sola appareret. Item in aliis accidit, inprimisque in eis, quae saepissime usu veniebant, erant autem cum alia, tum ea quibus sonus atque is plerumque querulus significabatur. Hoc igitur in numero pono: aequabilis, inaequabilis, delectabilis, exorabilis,

2) Latein. Stilistik p. 325 §. 117, 2.

exsecrabilis, flebilis, laetabilis, illaetabilis, lamentabilis, elamentabilis, insatiabilis, meabilis, remeabilis, miserabilis, nobilis, ignobilis, penetrabilis, sonabilis, resonabilis, spirabilis (ap. Cic. et Verg.), venerabilis. In eis mediam illam notionem modumque transitionis, ut in singulis doceam, neminem puto postulaturum neque operae videtur pretium.

Altera pars est eorum, quae a substantivis ducuntur: ea igitur adiectiva activam vim habere posse est in propatulo: ut aerumnabilis, exitiabilis, favorabilis, perniciabilis, testabilis, intestabilis, voluptabilis;

in tertia classe pono ea, quae derivantur a verbis intransitivis, vel a significatione intransitiva: conducibilis, discordabilis, durabilis, manabilis, stabilis, instabilis[3]);

quartum genus est eorum, quae per faciendi verbum formata sunt: lucrificabilis, luctificabilis, ludificabilis, significabilis, tabificabilis (horrificabilis et monstrificabilis ex coniectura scripta sunt);

quinto loco numero ea, quae per iocum a poetis comicis dicuntur: immemorabilis, impetrabilis, perplexabilis — quamquam haec, si quis passive accipienda esse contendat, non moleste feram —;

sexto loco sunt ponenda, quae ut Graeca vocabula interpretarentur, scriptores Romani conati sunt, qua in re Romanos liberius rem instituisse et saepius sermoni vim adhibuisse vix est, quod moneam; sunt pauca exempla: illatabilis, invitabilis, patibilis, persuasibilis.

Omnia, quae his legibus non respondeant, adiectiva sententia passiva accipienda esse puto. Restant quattuor exempla Pliniana — nam vigilabilis[4]) de quo certum iudicium afferri vix poterit, melius est praetermittere —, unum Varronianum. Ac Pliniana quidem exempla — generabilis, genitabilis, spirabilis, visibilis — eius generis sunt, de quo iam monui, cum apud posteriores scriptores inveniri plura exempla dicerem eorum adiectivorum, quae et activa et passiva notione ponantur. De Varroniano *alibilis* quid statuendum esset, diu dubitavi. Atque uno quidem loco, de re rust. III, 9, 14 (pulli) prodigendi in solem et in sterquilinium, ut se volutare possint, quod ita *alibiliores* fiunt non video cur a Gessneri sententia (lex. rustic. s. v.) recedendum sit, *alibile* passive dictum esse: altero loco II, 11, 1, 2 ubi editiones bis id vocabulum exhibent, unum „in nullo veterum inveniri testis est P. Victorius: et, ut videtur, glossema est“, alterum iam veteres editores intellexerunt, ut Graecum *θρεπτικόν* latine redderet, Varronem finxisse.

Omisi, ut oportuit, *dissociabilis* et *illacrimabilis:* quorum illud in nulla horum adiectivorum classe locum habere potest, hoc cum illis, quae in prima collocavimus, optime componi posse apparet. Itaque iam videndum est, num in sententiam quadret *dissociabilis,* si passive putemus eam vocem accipiendam esse. Atque optime quidem. Nihil enim novi addidisset poeta, si dixisset: deus prudens Oceano, qui eo consilio factus est, ut terras disiungat et separet, abscidit terras, nam deum idonea aptaque re usurum, ut consilium exsequatur, quis negaverit? Illa autem altera eaque passiva *dissociabilis* adiectivi notio Oceano, qui impedimenti munere fungitur, novi aliquid tribuit, cum ne cum illo quidem ipso ullam societatem commerciumve esse dicit: idemque

3) passive apud Ovid. Met. I, 16 et Tacitum.

4) Varron. sat. Men. p. 217, 3 ed. Riese:

O stulta nostri pectoris dormitio
Vigilabilis, quae me puellum impuberem
Cepisti!

manifestum fit ex verbis proximis, quae tum demum omni ex parte contraria priori strophae parti sunt.

Alia est res altero loco, de quo facile videtur iudicium. Duplici *illacrimabilis* adiectivi interpretationi, qua illacrimabilis dicitur et is qui non lacrimat et is qui non defletur, tertiam adiecit Schützius, qui Orcum illacrimabilem dici contendit, quia lacrimis exorari non queat. Quod verum esse iam Nauckius rectissime negavit, quod lacrimare non sit lacrimis aliquem exorare. Itaque cum Orcus dici non possit, qui a nullo fletur, fieri non potest, quin Orcum illacrimabilem eum esse explicemus, qui non lacrimat, atque statuamus Horatium analogiam adiectivorum primae classis ut flebilis etc. secutum esse.

I, 22.

Pauca de hoc carmine disputare constitui, quia etiam in novissima editione Nauckius explicationi nonnulla praemisit, quae ut probem, adduci non possum. Cognosci dicit ex metro Horatium, cum id carmen funderet, severo quodam et sancto animo fuisse, idque non fugisse medicum illum, qui modos carmini faceret. Medicum illum eundemque musicum haud contemnendum illo, quem Nauckius describit, animo fuisse, cum modos componeret, concedo, Horatium cum carmen pangeret, ea animi condicione usum nego multosque nostra aetate, qui Nauckiana editione in plurimis rebus egregia utantur, ut Nauckium a medico ad sententiam non satis veram duci puto. Melius existimavit Schützius, qui in appendice editionis suae illud bene significavit solere poetam seria cum iocis, vera cum fictis coniungere, nec tamen-nisi fallor-acu tetigit.

Ac primum quidem metro Sapphico — id quod Nauckius minime ignorat — poeta usus est non solum cum carmina altioris spiritus sancto ore funderet, sed etiam cum per iocum ludumque carmina a severitate toto caelo distantia scriberet ut I, 20. 25. 38. II, 4. 8. III, 8. 20. In verbis autem huius carminis, quaenam, quaeso, est severitas, quae divina quasi sanctitas, quae significatio gravitatis, si a primo versu discesseris? Nimis enim videntur mihi editores et interpretes haerere in primis illis verbis: integer vitae scelerisque purus. Ad unum autem eundemque primum versum totius carminis sententiam dirigere, praesertim cum ceteri omnes versus repugnent, probandum mihi nunquam videbitur cum apud alios poetas, tum apud Horatium, qui saepius a re digreditur ut ad finem ab initio non parum diversum veniat cf. III, 14. Quibus tamen verbis non nego inesse in primis illis verbis, quae neglegenda non sint, id nego, omnia, quae respicienda sint, his verbis contineri. Optime autem sententiam totius carminis intellegemus, si cum initio finem coniunxerimus, hoc igitur Horatium velle ut dicamus: Cuius pectus nulla rerum malarum conscientia agitetur, cuius mens sibi conscia sit recti, eum sine ullo metu aut timore et longissima itinera posse suscipere et amores sectari eiusque modi cogitationibus occupatum et soli amori intentum etiam in silvis tutum vagari: eum enim amorem cum integritate et innocentia animi coniunctum et firmissimum praesidium et iucundissimam animi condicionem esse. Hanc autem rem poeta, dum hilarem et laetum in modum persequitur, quem suadet et innocentia animi et dulce ridens illa puella, ipse auget et exaggerat inde ab secundo versu gravitatem rei horribilissimis, remotissimis, fabulosissimis rebus allatis. Atque ut iam illa ad mira deduxit, etiam lupus ille Sabinus bestia aliquanto periculosior perniciosiorque fit, quae tamen poetam, quippe qui in tutela deorum versetur idque eo magis cum carminibus amatoriis pangendis det operam, fugit. Sic Horatium in carmine quarto libri tertii scriptum legimus iam puerum in Volture non sine deorum opera

a palumbibus tectum, sic in pugna Philippensi a Mercurio (II, 7, 13), a Musis (III, 4, 25) servatum, sic ab arboris ictu a Fauno (II, 17, 28), a Musis (III, 4, 27), a Baccho (III, 8, 8) defensum, sic Musarum opera in mari (III, 4, 28) incolumem mansisse, sic saepius poetam res ad fabulas deducere videmus. Neque in eo, quid cum Schützio offendamus, video, quod Mauretaniam, leonum nutricem, commemoraverit; nam tantus, ut diximus, lupus, deorum auxilio fugitivus, poetae visus est, ut cum maximis monstris comparandus esset: inveniuntur autem ea in Mauretania, cui opponitur Italia pro qua posita est *Daunias:* itaque cum Italiae vice Daunias introducta sit, additur ei militaris, pro qua haud scio an nulla vox aptior in hoc carmine fortissimi spiritus inferri possit: Daunias autem quia iam *arida nutrix* leonum obversabatur animo poetae, optime nominata est, fuit enim non minus *pauper aquae*, quam Jubae tellus. Nec haerere debebat in aesculetis Peerlkampius, quod non solum similitudine aliarum vocum, sed etiam testimoniis Varronis (cf. Georges s. v.) optime defenditur. Haec igitur si tenebimus, neque cum *Peerlkampio* et *Meinekio* quartam stropham condemnabimus neque cum *Lehrsio* quattuor strophas resecabimus; nam quod esset hoc carmen, quod duabus strophis contineretur? tam mutilum et tam imperfectum, ut novi videri possent versus addendi, neque ullo modo comparandum cum I, 38. III, 22. Illud autem, quod Lehrsius, ludo quodam uberrimi ingenii, sibi excogitavit — ut de omnibus ceteris, quae repugnant, taceam — nemini unquam volet persuadere aut poterit; nam quomodo fieri potuit, ut Horatius strophas, quas, ut Horatii sanctitatem irrideret, Fuscus Aristius composuerat, cum carmina ederet, reciperet et ita pulcherrimum carmen et venustissimum — nam pulcherrimum et omni ex parte absolutum illud fuisse Lehrsius putat — depravaret?

I, 35, 21.

In pulcherrimis libri primi carminibus habendum esse tricesimum quintum semper putavi idemque non una ex parte difficillimum. Ac primum quidem quam deam Fortunam accipi velit, Horatius declarat: eam deam, quae possit et eos, qui tristissima rerum condicione utantur homines beatissimos facere, et illos, qui prospero rerum flatu gaudeant, calamitatibus obruere. Sequuntur exempla ruris colonus, nauta, Dacus Scythaeque, urbes gentes Latium, matres regum, purpurei tyranni, qui cur inprimis metuant, proxima stropha Horatius exponit. Tum comitem Necessitatem describit, tanquam satellitem fortunae, et quae necessitas inter Spem Fidemque et Fortunam intercedat, significat, quibus contrariam consuetudinem habere meretrices et amicos, quales quidem esse soleant, poeta contendit. In fine carminis supplicat Fortunae, ut Caesaris expeditioni faveat, qui et Britannis bellum illaturus est et legiones in Orientem contra Parthos missurus, ut arma, quae civilibus bellis polluta sunt, renoventur et tanquam consacrentur. Totius igitur carminis sententia cum patere videretur, semper suspicionem mihi moverunt verba:

Te Spes et albo rara Fides *colit*
Velata panno, nec comitem abnegat
  Utcumque mutata potentis
  Veste domos inimica linquis.

Neque illa dubitationem removere potuerunt, quae *Lehrsius*, ut aliis in carminibus severissimus iudex, ita huius carminis defensor eloquentissimus eumque secutus *Schützius* ad explicanda et defendenda haec verba attulerunt. Contra quos cum iam *Mewes* in actis societatis philol. Berol. a. 1878 p. 143 sagacissime monuerit, non magis fieri posse ut dicatur: „Spes et Fides For-

tunam adversam comitem abnegat", quam „medicus auxilium hominis aegroti non repudiat, aut is qui videt, quin caecus ducis munere fungatur, non recusat", neque spem egere Fortunae assectatione, sed Fortunam spei, pauca addam. Quid enim, si Lehrsium sequimur, id sibi vult: si *tu*, Fortuna, abis, illae non recusant, quominus *ipsas* comiteris? An Spes et Fides priores abire finguntur? Neque illud satis apte a Schützio mihi videtur exponi: Spem et Fidem nihil aliud esse, nisi homines plenos bonae spei et fidei: Fortunam autem significare homines, qui in miseria versentur. In quibus cur bonae spei pleni homines in infelicium comitatu sint, cum vix perspicitur, tum sententia depravatur, nisi Spem et Fidem deas h. l. intellegimus. Denique, ut in omnibus rebus, sic etiam imaginum modus certique fines sunt, quibus impedimur „Fortunam mutata veste potentes domos linquere" ita accipere, ut illos statuamus dici, qui rebus adversis pressi ex divite domo in exsilium — cuius ne minima quidem significatio est — proficiscantur: immo deam ipsam notari — si argumento opus est — ipse poeta apertissime declaravit „*inimica*" adiectivo apposito, quod, si ei, qui in exsilium proficiscuntur, significarentur, sententia plane careret.

Proficiscendum mihi videtur in explicatione huius loci a stropha septima, qua eis, quae antecedunt, contrarii aliquid contineri *at* particula significatur: itaque cum in ea stropha multitudo amicorum et convivarum, ubi calamitates in hominem irruerint, cedere et diffugere dicatur, stropha priore nihil aliud dici potest, nisi etiam in rebus afflictis miseriarumque turba infelicibus hominibus *aliquem adesse:* id igitur tenendum est non solum *inter se* contraria esse Spem Fidemque et volgus, meretrices, amicos dolosos, sed etiam ea, quae faciant: turba enim illa infida cum diffugiat, Spes et Fides remanent apud homines infelices. Haec omnia et facillima ad intellegendum et verissima mihi videntur, sed quomodo, si vera sunt, stare possit *colit* vox, non intellego. Quid enim? Num Spes et Fides eam deam *colere* — id est observare, honorare, diligere — possunt dici, a qua verbis proximis longe dispares et re et factis finguntur et describuntur? quo iure dici potest Fortunam coli a Spe et Fide, quae primo quoque discrimine apud eum, quem illa deseruit, remanent eumque consolantur? Itaque quamquam in Horatianis carminibus scripturam verborum temere sollicitandam esse nequaquam arbitror plurimisque locis, si ea, quae praeter alios viros doctos Teuffelius cum aliis locis tum in eo libello, quo philologos a. 1876 Tubingiam convenientes salutavit, tenebimus, librorum auctoritatem defendi posse censeo, hoc loco *colit* apte explicari posse despero. Quae cum ita sint, circumspiciendum erit, quae ratio inter Spem Fidemque et Fortunam intercedat. Qua in re duae res in iudicium veniunt, mythologia Romana et sententia huic loco apta. Atque quae de vinculis, quibus Fides et Fortuna coniungantur, in libris disputata sunt, maxima vel omni ex parte ab hoc carmine originem ducunt: Spes autem licet propinquior sit Fortunae, posterioribus demum temporibus cultus et honoris societatem quandam cum Fortuna videtur inisse. Hac igitur a parte cum parum praesidii nobis comparetur, omnia a sententia et ratione petenda sunt. Itaque quoniam supra demonstravimus Spem et Fidem solas esse comites hominum infelicium, nunc quaerenda est vox quae et cum verbis *comitem abnegat* apte per *nec* particulam coniungatur et quomodo Spes et Fides in Fortunam se gerant, significet. His autem postulatis, quae, si quid video, iusta sunt, haud scio an nulla melius respondeat, quam *manendi* verbum; itaque conicio scribendum esse, „Fides *manet*", quod cum quispiam parum apte per *colit* interpretatus esset, hoc in verba scriptoris videtur irrepsisse: itaque nisi vocabulum inventum erit, quod et sententiae respondeat et ad traditam scripturam propius accedat, eam scripturam veram esse putabimus.

III, 10.

Huius carminis nuperrime exstitit iudex severissimus in Iahnii annal. vol. 123. p. 280, quem, ne auctoritate moveremur, sublato puto nomine quae censeret protulisse. Constat autem disputatio eius duabus ex partibus, quarum priore versum V. ab Horatio scriptum esse negat, altera totum carmen spurium esse contendit. Ac priore quidem parte posse quidem artificiis interpretandi quamlibet sententiam illis verbis supponi, verba autem per se obscura et perplexa esse contendit, obscuritatis autem vitio Horatium minime teneri iam Suetonium affirmavisse. Duo tamen distinguenda videntur esse, obscuritas in re et obscuritas in verbis posita. Ac sententia quidem est apertissima: monet enim poeta Lycen, ne nimis superba sit, ruina enim, ut est in nostro proverbio, sequitur superbiam. Illud autem confitendum est, machinas veterum multasque res, quae in vita cotidiana usu veniebant, nobis tam parum esse notas, ut unde proverbia, quae ab his orta sunt, originem ducant, plane ignoremus: quid quod nostro quoque sermone exstant proverbia et locutiones, quorum originem ne coniectura quidem assequi possumus? Sed ne opus quidem est confugere ad illam excusationem: nam res optime explicatur, dummodo ne cogitemus de *casu quodam* aut *re adversa*, sed id intellegamus, tertium, quod dicunt, comparationis *in celeritate* esse positum. Id enim poeta dicere voluisse mihi videtur, formam pulchritudinemque fragile esse et caducum atque ut funis trochleae, qua non solum ad onera a terra in altitudinem evehenda veteres utebantur, sed etiam ad modiolos in puteos demittendos, celerrime rota currente in profundum revolvatur, sic etiam corporis bona velocissime abire et aufugere. Hac autem in re nonne inest admonitio quaedam gravis, qua poeta Lycen adhortatur, ut tempore amori apto utatur neve aetatem patiatur effugere?

Videtur autem vir ille doctissimus indignatione quadam, ut totum carmen condemnet, adduci. Ne hoc quidem satis novum: nam omnium criticorum severissimus Gruppius et hoc carmen et libri IV, 13 Horatio indignum esse ratus, ex Horatio eiecit: sed quo res ventura sit, his atque similibus rationibus si ducamur, nemo videt. Sordida et obscoena in eis carminibus inesse, quis negat? At etiam in libri I. carmine 25. cum sordida non pauca inveniuntur, tum illa imago, qua taetriorem et foediorem cogitari posse vix puto (v. 13); de libri III. c. 15, de epodis 8. et 12. nolo dicere, num haec carmina ea de causa spuria sunt? Horatium autem nonnulla scripsisse, quae non satis pura et decora essent, ut unum eumque gravissimum testem adhibeam, declarat Quinctilianus I, 8, 6: Ut tragoediae, alunt et lyrici: si tamen in his non auctores modo sed etiam partes operis elegeris, nam et Graeci licenter multa et Horatium nolim in quibusdam interpretari. Id, quod saepissime iam dictum est atque id a viris doctissimis et elegantissimis, veteres aliter in his rebus sensisse, neque nostro decoris et elegantiae iudicio, quid aptum sit quid secus, esse iudicandum, sed ex veterum scriptis et ex unius cuiusque scriptoris consuetudine et moribus leges quasdam esse petendas, id satis dici videtur non posse.

„At etiam singula inter senon conveniunt." Lycen v. 1—4 appellari dicit criticus ille mollem et misericordem, continuo autem superbiam eius multis verbis describi. At quae mansuetudinis significatio in prima stropha sit, nemo intellegit: nihil enim aliud poeta videtur dixisse, nisi: etiam si condicione utereris, quae amoribus et lusibus omnium minime apta esset, id tamen abs te impetrare non posses, ut me tantae tempestatis iniquitati obiceres: summa enim ea est. Nuptam autem Lycen esse viro immiti, verba „saeva nupta viro" non sententia condicionali accipienda esse, luculentissime apparet ex versu 15., quo ut sollicitudine suspicione invidia mulierem

moveat, virum illum infidum esse poeta insimulat atque amore Pieriae cuiusdam puellae, correptum. Neque magis in eo secum pugnat poeta, quod in fine carminis Lycen, quae mulier superba sit et dira, ut parcat oret. Haud scio an minus graviter in ea verba vir ille doctus invecturus fuerit, si legisset ea quae *Mewes* in actis soc. philol. Berol. a. 1879 p. 98 — *Lehrsium* secutus — disputavit. Putat enim poeta, se eis, quae antea protulit, animum Lyces paulum movisse: neque a nostra dicendi consuetudine neque a poetae ratione abhorret illud: scio ego quidem te parum *adhuc* facilem esse, quippe quam neque munera neque preces neque amantium pallor neque invidia moveant: sed nunc demum fac finem. Difficilius quidem videtur ultimam vituperationem refutare, qua poetam, cum antea *puro numine* posuisset, in fine *aquae caelestis* notione pluviam contendit significavisse· Nolumus confugere ad licentiam quandam, qua poeta statum temporis condicionemque non satis servaverit (de qua licentia cf. Nauckium ad I, 23, 5) aut illud, quod non male quispiam dixerit, monere nihil aliud his verbis significari nisi iniquitatem temporis: si illud nobiscum reputaverimus illis diebus, quibus glacies vestigium non recipiat, serenissimam post noctem sub lucem pluviam cadere atque si illud consideraverimus Scythidis et Tanais mentione facta Horatium, ut hiemem quodammodo Scythicam describeret, adductum esse, in his nihil, quo offendamur, inveniemus.

In eis, quae in verbis Bentleius abundantia quadam ingenii ductus mutavit, laudem ferre critici videtur, illis neglectis, quae cum alii tum Nauckius et Kellerus epileg. p. 225 disputaverunt: quae quamdiu non refutata erunt, eis utemur: hoc loco tantum ea, quae nova attulit vir ille doctissimus, in iudicium vocabimus. Qua in re nimis inique de sermone poetae iudicavisse mihi videtur. Nam primum adiectivum *asperae* incommodum esse non videtur, translatum enim est a domina aspera in fores, quibus amantes excludit: quam rem saepissime fieri, quis est qui nesciat? Pauca exempla Ovidiana — occurrunt paene innumerabilia — afferam: Met. XII, 6 *coniurataeque* sequuntur mille *rates:* XIII, 453 postquam *crudelibus aris* admota est etc. Sed quid Ovidium commemoro: ipse Horatius similiter dixit III, 21, 19 neque *iratos* trementi regum *apices.* Neque minus aptum est aquilones *incolas* appellare, quod ea tempestate in illa terra videntur habitare; tam frigida ea et inhospitalis est, ut illi ibi venti domicilium habere optime dicantur neque quisquam id contra dicet flare eos aliis quoque terris: collocavit enim poeta eos hic eodem iure quo I, 3, 15 Africum *arbitrum Hadriae,* III, 3, 5 Austrum *ducem* inquieti turbidum *Hadriae* appellavit. *Plorares obicere,* ut ad ultimum, quod vituperandum esse visum est, veniam, dici posse ex Georgis lex. s. v. plorare facile intellegitur: ibi enim Plauti locus aulul. II, 4, 29 (308) affertur:

Aquam hércle plorat, quóm lavat, profúndere[5]). Similiter etiam est apud Manil. IV, 748 minui deflevit onus: quid quod ipse Horatius carm. IV, 4, 61 non hydra secto corpore firmior *Vinci dolentem* crevit in Herculem dixit et item Claudianus.

Nolo plura: similia autem qui requiret, non pauca inveniet apud Drägerum gramm. lat. §. 425. Kühnerum II, 1, §. 124 N. 1.

Haec fere habui quae dicerem. Quae a sermone latino aliena esse vir ille doctus contenderat, ea non abhorrere me docuisse spero: num satis decora, pulchra, elegantia sint omnia, iudicare non est meum, ex Horatio autem cur hoc carmen extrudendum sit, non videmus. Acerrimis autem illis iudiciis si plures utuntur, ne tempora veniant metuo, quibus ex Horatianis carminibus pauca supersint.

5) qui loci et Horatianus et Plautinus utrum eximiam Drägeri diligentiam fugerint an consulto ab eo §. 425 omissi sint, nescio.

De ordine carminum libri I, 1—12.

Haec atque talia saepius cogitanti allata mihi est aureola illa *Kiesslingii* disputatio[6]) de nonnullis carminibus Horatii, quam legi et iterum legi idque summa cum delectatione: nam etsi dolebam nonnulla, quae aliquando ipse cogitavissem, mihi praerepta esse atque tam praeclare exposita, quam me ipsum expositurum nunquam speravi, tot tamen tantaque Kiesslingius ad multa rectius et accuratius intellegenda, plurima novo iudicio contemplanda attulit, ut magnopere gauderem ad viri doctissimi iudicium tantum me accessisse. In paucis dissentio, quae nunc in medium proferre est in animo.

Quot libros quibus temporibus Horatius ediderit, etiam post Kiesslingii sagacissimam et diligentissimam disputationem dubitabitur, sed hanc disputationem — periculosae plenum opus aleae — nunc nolo attingere, ad rationem, quam Horatium in ordinandis duodecim primis carminibus secutum esse dicit, accedam. Atque hac quidem in re novi aliquid Kiesslingius invenisse sibi visus est, cum numerum eorum carminum, quae Horatius in principio collectionis tanquam specimina artis suae poeticae proposuisset, non novem carminibus censeret esse finiendum, sed duodecim carminibus contineri. Quod firmari et re et metris. De metris quatenus assentiendum sit, postea videbimus, illud autem demonstrari vix poterit, etiam in rebus vel hominibus, ad quos poeta haec duodecim carmina misit, certam eum legem et consilium esse secutum. Bene primo loco — id libentissime comprobamus — posuit carmen, quod Maecenatis nomine ornatum est, pulchre gravissimo carmine secundo Augustum vindicem pacisque principem concelebravit, Vergilium — si poeta est — tertio loco ab Horatio honoris causa appellatum esse concedimus. Qua in re duo sunt, quae mirum me habent: commemorat hoc loco Kiesslingius *Christii*[7]) et *Bücheleri*[8]) commentationes, quibuscum ita consentit, ut item ad Vergilium poetam carmen tertium missum esse dicat: ex eorum numero, qui de mercatore Vergilio, quem eundem c. IV, 12 appellat, cogitaverunt, *Lachmannum* unum nominat, ut appareat plane eum sive consulto sive errore neglexisse ea, quae a *Mewesio* in act. soc. philol. Berol. a. 1879 p. 92—94, omnibus, quarum ratio habenda est, rebus diligentissime ponderatis, disputavit. Alter error mihi videtur esse in disputando. Demonstrare enim studet Horatium ita carmina in ordinem redegisse, ut aut auctoritati hominum clarissimorum aut amori carissimorum responderent; proficiscitur igitur, ut videtur, a re certissima atque manifestissima, ita ut de viris illis ne dubitari quidem posse videatur: idemque non dubitat pro argumento afferre, quod tam illustri loco carmen „Sic te diva potens" positum sit, ea de causa Vergilium poetam esse, ad quem illud datum sit. Quod, si non est circulus, ut aiunt in argumentando, quid sit circulus, nescio. Quam infirmis igitur argumentis haec nitantur, quamquam videmus, cetera omnia, si Vergilium poetam carmine tertio appellari concedamus, num optime procedant videamus. Ac Sestium quidem, ad quem quartum carmen datum est, hac in clarissimorum hominum societate quodammodo patimur, sed qui locus sit Pyrrhae, mulierculae levissimae, frustra quaeritur. Nam nulla mihi videtur esse causa, quod Kiesslingius Horatium dicit, ut carmine sexto, quo et Agrippae et Varii laudes celebraret, se „leviore plectro modos" componere, dicere posset, uno exemplo antea edito docere debuisse, se illi generi artis poeticae operam dare: quae causa

6) Philol. Untersuchungen herausgeg. v. A. Kiessling u. U. v. Wilamowitz — Möllendorff. 2. Heft.
7) Fastor. Horatianor. epicrisis. Monachii 1877.
8) Coniectan. Bonn. 1878.

si vera esset, etiam id dicendum esset Horatium aliud ordinis consilium inisse, neque unius auctoritatis in illis carminibus collocandis rationem habuisse. Unum autem hac in re item animadvertendum est: si hoc verum est — neque ego negaverim — Horatium inprimis id carmine sexto significare imparem se esse graviori artis poeticae muneri, sed levia carmina amatoria et convivalia componere, quomodo hoc cum sex primis carminibus libri tertii convenit? Haec inter se tam parum conveniunt, ut eis, qui tres primos libros una in lucem ab Horatio editos esse negant, non levissimum praesidium oriri videatur. Longe aliter res se habebat, si nova quaedam collectio carminum atque ea non exigua prodiit, quibus ille tenerorum quondam lusor amorum carmina non prius audita virginibus puerisque cantabat? Sed nolo hanc quaestionem omnium longe difficillimam movere, illud tamen ut prorsus tacerem, a me impetrare non potui. Post Munatium Plancum, quem non minus facta, quam Velleius Paterculus condemnant, ne Kiesslingius quidem in *personis* ordinem quendam et modum inesse docere studuit: metrorum rationem habuit atque hac in re mirari satis non possum, quam praeclara disputatione carmen nonum ornaverit. Carmine nono Christius et Lucianus Müller ordinem eorum carminum, quae Horatius ut varietatem artis suae demonstraret, prima esse voluit, finiverunt: iniuria, ut videtur Kiesslingio, iure, ut mihi. Diversam enim esse putat vir ille doctissimus metri rationem carminis decimi ab aliorum carminum Sapphicorum ratione metrica. Ac primum quidem, nonne mirum esset, si Horatius unius eiusdemque metri forma in viginti duobus carminibus librorum trium vicies semel, altera semel usus esset? Neque vero est alia forma: nam ipsum proximum carmen initium capit a versu eundem in modum composito. At tres versus, inquit Kiesslingius, carminis X ex quindecim versuum numero sunt, in quibus post sextam syllabam caesura sequitur. Qua in re illud censeo non esse neglegendum quinta syllaba vocabulum ipsum finiri, sextam esse „que" particulam: quam quidem rem ita accipiendam esse puto atque ab omnibus artis metricae peritis acceptam esse, ut etsi voces illae tam arte cum eis, quae praecedunt, vocibus coniungendae sint, ut in unum vocabulum quodammodo coalescant, satis tamen excusationis habere dicant caesuram, non minus quam I, 2, 34 Quam Iocus circum|volat et Cupido, I, 16, 21 Hostile aratrum ex|ercitus insolens, I, 18, 16 Arcanique fides prodiga, per|lucidior vitro, II, 12, 25 Dum flagrantia de|torquet ad oscula II, 17, 21 Utrumque nostrum in|credibili modo etc. [9]). Atque id illum minime puto negaturum, qui vel in *reddidisses* forma post *red* praepositionem inseparabilem finem quodammodo vocabuli invenerit.

Neque alterum puto magnopere eum pressurum summique momenti esse arbitraturum, qui secum reputaverit illam verborum distinctionem, qua ante paenultimam thesin vocabulum terminetur, esse frequentissimam, qua Horatius et in eis versibus, qui caesuram penthemimerem habent, et in eis, qui post sextam syllabam inciduntur, utatur. Itaque si illud animadverterimus, Horatium ex 615 versibus Sapphicis minoribus 217 — si bene numeravi — per vocem trisyllabam terminavisse, non magnopere mirabimur, quod in 33 versibus, qui post sextam syllabam inciduntur, 19 in fine trisyllabam vocem habeant. Nam quantopere hac quoque in re fors regnet, is facile intelleget, qui in carmine saeculari sex versus cognoverit hunc in modum esse compositos, sex in illum descriptos: aut qui omnes versus Sapphicos — ut ego aliquando feci — verborum divisionem secutus in ordinem digesserit et animadverterit in hoc carmine miram copiam huius, in illo illius divisionis inveniri. Haec igitur omnia, si nobiscum reputaverimus, neque eorum, quae ut copiam varieta-

9) Christ, Die Verskunst des Horaz. p. 11. Sitzungsber. d. K. bayer. Akademie d. Wissenschaften 1868, I.

temque formarum ostenderet primo loco Horatius exempla posuit, carminum numerum ad duodecimum deducemus, sed in nono subsistemus, neque in personis eorumque caritate et amore causam atque consilium ordinis posita esse censebimus, sed Maecenati illi quidem fautori amicoque et Augusto omnium principi egregium quendam locum datum esse, in ceteris autem carminibus collocandis poetam ut non solum metrorum, sed etiam argumentorum summam declararet varietatem operam dedisse iudicabimus.

De usu particularum copulativarum.

In multis illis et praeclaris editionis Nauckianae virtutibus illam non ultimo loco puto ducendam, quod summa in interpretando diligentia particularum copulativarum rationem habuerit[10]). Unde et ad verba facilius atque accuratius intellegenda et ad artem Horatianam rectius perspiciendam maxima suppeditare praesidia, quis negat? Sed cum omnis de coniunctionum copulativarum quaestio difficilis sit, quia, quid ratione quadam certa et ex legibus sermonis latini aut ex consuetudine scriptoris dictum sit, liquido diiudicari saepius non possit, tum perdifficilis illa est quaestio, si in explicandis poematis ponitur, ubi ad leges sermonis et ad consuetudinem scriptoris tertium accedit, necessitas quaedam, quam leges metricae imponunt. Quae quidem, quantum valeat, multis discimus exemplis. Unam rem ex tanta copia proferam: videmus Horatium in ultimo versu strophae Alcaicae saepissime *que* particulam ante ultimam vocem bisyllabam ponere, ita quidem ut aut addantur ultimae enuntiationis voces enuntiatioque concludatur, aut novum inchoetur enuntiatum, quod in proximam stropham pertineat. Sunt autem haec exempla: I, 16, 20. 28. 17, 4. 20. 28. 27, 16. 29, 4. 31, 16. 34, 8. 35, 16. 20. 32. 40. II, 1, 20. 5, 24. 7, 4. 11, 8. 16. 13, 4. 20. 14, 4. 8. 15, 4. 12. 17, 4. 16. 24. 19, 24. 28. 32. 20, 4. 12. 16. 20. III, 1, 4. 12. 20. 36. 44. 2, 16. 28. 3, 40. 56. 68. 4, 4. 5, 4. 36. 6, 20. 36. 23, 4. 16. 29, 12. 28. 60. 64. IV, 4, 60. 9, 24. 36. 14, 4. 44; in quibus si videmus *que* eundem semper locum tenere, num alia de causa id factum esse putamus, nisi quod sic verba optime in numerum coniungerentur? Neque illud non convenire mihi videtur cum eis, quae diximus, quod Horatius hoc adiumento multo pro numero versuum saepius in prioribus, quam in posterioribus carminibus usus est[11]). Nauckius tamen duo sibi videtur invenisse, unum, solere Horatium partes enuntiatorum (et notiones) primarias per *que* particulam, secundarias per *et* coniunctionem conectere, alterum *neque* et *nec* non forma sola, sed etiam significatione esse diversas. Quibus in sententiis, quid in singulis locis valeat, quid in universum legis locum obtineat, difficile videtur diiudicatu: neque tamen ullo modo id viro illi doctissimo et de Horatio egregie merito vitio tribuerim, qui suum editoris iure putaverit solum esse, quid quoque loco de particulis statuendum esset, significare. Legem autem Horatianam atque consuetudinem, non singulare quid, quod

---

10) I, 7, 3. 13. 9, 16. 12, 15. 31. 14, 6. 17, 24. 19, 14. 20, 10. 21, 3. 22, 2. 28, 1. 31, 13. 35, 9. II, 2, 21. 10, 9. 14, 3. 15, 12. 16, 31. 18, 5. 19, 10. 20, 4. 11. III, 3, 2. 35. 4, 15. 43. 45. 47. 5, 26. 7, 19. 8, 26. 10, 7. 11, 13. 25. 18, 6. IV, 2, 10. 3, 6. 4, 55. 5, 13. 8, 9. 9, 7. 13, 21. 14, 42. 15, 5. C. S. 47. 62. Epod. 2, 5. 7, 15. 12, 3. 13, 1. 16, 46. 17, 46.

11) Quos Horatius in strophis pangendis progressus fecerit, optime exposuit Kiesslingius l. l. p. 82, qui tamen in eo errat, quod finem strophae Alcaicae eodem loco collocat atque incisionem post quartum quemque versum Asclepiadeorum, eorum qui singuli — *κατὰ στίχον* — ponuntur: alia enim res est strophae comprehensio, alia coniunctio quaternorum eiusdem generis versuum, ex quibus, licet in modum strophae eos scribamus, nunquam stropha fiet. Quae cum ita sint rebus et sententiis in fine quarti versus finitis certae quaedam distinctiones faciendae sunt.

legibus Horatianis non respondeat, Nauckium illis locis significare cum ex aliis, tum ex eis, quae ad Epod. 13, 1 adnotavit, apparet. Atque ego equidem quotiescunque ad illum locum similesque veneram, semper offendebam in illa Nauckii opinione: quam vix veram esse saepius mihi consideranti atque Horatii verba mecum reputanti aperte profitendum esse visum est. Anxium illud quidem me habet, quod tot viri docti, quorum in manibus editio Nauckiana est, nihil quod sciam de hac re monuerunt, id tamen nescio an sperare possim, fore, ut aut eis, quae dicturus sum, Nauckius adductus de sententia sua discedat aut aliquis me, si erraverim, meliora doceat.

Atque initium quidem capiamus ab altera re, quam paucis verbis transigi posse puto. Ad I, 20, 10 apud Nauckium haec legimus: „nec neque nicht 'weder — noch', so wenig als dies *οὔτε οὐδὲ* bedeutet, sondern 'weder — auch nicht' vermöge einer Anacoluthie etc." Qua in re primum id, quod in Graeco sermone manifestissimum est, *οὔτε* et *οὐδὲ,* si originem vocum spectaveris, plane diversa esse, in lingua latina admodum dubium est: itaque omnes fere nostrae memoriae, qui libros grammaticos composuerunt, viri docti in eo consentiunt[12]) inter *nec* et *neque* nullam significationis esse differentiam. Ac Caesarem quidem *nec* particula ante vocales uti notum est, quam eandem legem Vergilius[13]) et Propertius[14]) plerumque secuti sunt, simile quid Lucretium sibi praescripsisse Lachmannus[15]) docuit. Quomodo illi ita scribere potuerunt, si in sermone latino inter *nec* et *neque* quidquam interesset? Horatium autem similem legem sibi posuisse post Kirchneri[16]) disputationem nuperrime luculentissime exposuit Keller epileg. p. 141. Itaque si eam legem, qua ante vocales *neque* forma utebatur, sibi posuerat Horatius, quo iure aliam notionem *neque,* aliam *nec* particulae subesse contendi possit, non video. Ac ne sententia quidem tale quid flagitari, exemplis firmabo. I, 1, 32. 4, 3. 12, 21. 22, 13. III, 1, 25. 5, 27. 10, 13. 11, 43. 24, 36. IV, 7, 25. Epod. (2, 5?). 7, 11. 17, 31. —

Quoniam vidimus inter *neque* et *nec* nihil interesse, omnes illas Nauckii interpretationes et adnotationes quae ab illa differentia ducantur constare non posse concedendum erit: atque meo iure agere mihi visus sum, quod in eis, quae sequuntur, coniungendi formulis, eas quae per *neque* et quae per *nec* fiunt, non segregavi.

Unum habeo, quod addam. Ducenti quinque versus Adonii ab Horatio compositi exstant: in quorum nullo Horatius vocalem elisit, praeter II, 16, 8, — si eos, qui novissime carmina Horatiana ediderunt, sequimur „*neque auro*" scribentes: nam quam sibi finxerat legem Bentleius[17]) vanam esse Kirchnerus l. l. demonstravit. Itaque quoniam ne Kellerus quidem pro certo affirmare potest in archetypo scriptum fuisse *neque,* sed eo tantum progreditur, ut locum in eo numero ponat, in quo longe verisimillimum sit *neque* ab Horatii manu profectum esse et quoniam *nec* ante vocales ponere Horatius non plane veritus est in hoc versu scripserim, ut illam legem elisionis in versu Adonio vitandae, certe non minus, quae observetur, dignam tuear: *nec* auro.

Longior altera est quaestio de *et que ac* particularum usu. Ac primum quidem in singularum particularum coniunctivarum usu quam levi cum mutatione sententiae *et que ac* promiscue

---

12) Kühner, II, p. 656. Dräger, II, p. 63. Grossrau p. 591.
13) Ribbeck, prol. 435.
14) Lachmann, ad Prop. p. 365.
15) Lachmann, ad Lucr. III, 853.
16) ad sat. II, 2, 21.
17) ad III, 11. 43.

ponantur, haud scio an nulla saepius sententiae differentia apparet ex comparatione locorum similium ut I, 1, 2 *et* praesidium *et* dulce decus et II, 17, 4 grande decus columen*que* rerum. Neque vero ea mihi res est cum Nauckio. De eis locis pauca disputaturus sum, in quibus mihi cum illo non convenit. Congessi igitur omnes illos locos, in quibus duae aut plures particulae coniunctivae inveniuntur: neque in eo substiti, ut *et*, *que*, *ac* particulas solas respicerem, sed aliquanto latius mihi fines constituendos putavi, ita, ut omnes locos, ubi tria plurave vocabula aut enuntiata in ordinem coacta sunt, notarem. Ita enim non solum facillime facultatem omnibus fore diiudicandi arbitrabar, sed etiam alia occasione oblata ex hoc indice plura coniectandi. Possunt igitur tres partes enuntiati triplici ratione inter se coniunctae esse, aut enim et si sententiam et si rationem grammaticam spectamus, parem gradum obtinent ut vina et unguenta et flores (II, 3, 17), aut re illae quidem idem momentum habere possunt, diversa structura grammatica, ut quaecunque aut gelido prominet Algido, nigris aut Erymanthi, silvis aut viridis Cragi. (I, 21, 6). In quibus verbis Algidum, Erymanthum, Cragum unum eundemque sententiae locum obtinere, ratione autem grammatica Erymanthi et Cragi voces artius coniunctas esse cuivis apparet. Tertium genus est earum, quae non plane eodem iure et sententiae et rationis grammaticae utuntur, ut negat improbus, et te neglegit aut horret. (Ep. I, 7, 63). Id autem ita velim accipi, ut bene intellegatur etiam in tertii generis exemplis coniunctionem quandam atque necessitudinem singularum notionum inesse, illa autem prorsus omittenda esse, in quibus verba, et si sententia, et si ratio grammatica spectetur, plane alium locum obtineant: ut Epod. 13, 4. Sat. I, 1, 92. I, 4, 58. II, 5, 99. Ep. I, 16, 25. Quae exempla ex magna illa copia adscribo, ut manifesto appareat, etiam in hoc genere membra et primaria et secundaria et per *et* et per *que* particulam coniungi. Atque primi generis exempla adscripsi[18]), secundi verba uncis circumclusi, tertii locos numeris tantum significavi.

Ac primum quidem veniamus ad ea exempla quae ex tribus membris constant: ex quo numero primo loco collocavi ea, quae per *et que* particulas copulativas coniunguntur, quia haec inprimis ad nostram quaestionem pertinent. Sunt autem, in quibus nobis quidem tria illa membra pari iure uti videntur, haec: I, 18, 14 amor sui *et* — gloria — arcani*que* fides. I, 24, 6 pudor *et* iustitiae soror — nuda*que* veritas. I, 28, 1 maris *et* terrae numero*que* carentis harenae. I, 29, 2 invides gazis *et* — militiam paras horribili*que* — nectis catenas. I, 35, 33 cicatricum *et* sceleris pudet fratrum*que*. II, 3, 17 saltibus *et* domo villa*que*. II, 4, 21 bracchia *et* voltum, teretes*que* suras. II, 6, 7 maris *et* viarum militiae*que*. II, 8, 10 cineres — *et* signa — gelida*que* divos morte carentes. II, 10, 10 pinus *et* — turres — feriunt*que* — montes. II, 14, 18 Cocytos *et* Danai genus — damnatus*que* Sisyphus. II, 18, 18 marmora locas — *et* struis domos maris*que* — submovere litora. II, 19, 25 choreis — *et* iocis ludo*que*. II, 20, 10 residunt — pelles *et* mutor — nascuntur*que* — plumae. III, 2, 3 puer condiscat *et* — vexet — vitam*que* — agat. III, 6, 35 Pyrrhum *et* — Antiochum — Hannibalem*que*. III, 8, 2 flores *et* acerra — positus*que* carbo. III, 23, 3 ture *et* fruge — avida*que* porca. III, 27, 13 sis — felix — *et* vivas; te*que* — III, 29, 12 fumum *et* opes strepitum*que* Romae. III, 29, 27 Seres *et* — Bactra — Tanais*que*. III, 29, 54

18) Libri, qui numeris tantum significantur, carminum sunt: verba autem Horatiana cum neque plena adscribere neque prorsus omittere vellem, eam rationem inii, ut verba, quae rem continerent, ita significarem, ut quicunque mediocriter in Horatio versatus esset, quid de quoque loco iudicandum esset, facile posset intellegere.

resigno — *et* involvo — probam*que* quaero. (IV, 15, 13.) C. S. 61 Augur *et* — decorus arcu — acceptus*que*. Epod. 4, 13 arat — *et* — terit, sedilibus*que* — sedet. Epod. 7, 15 tacent *et* — pallor inficit mentes*que* — stupent. Epod. 8, 3 dens ater *et* — senectus exaret hiet*que* turpis. Epod. 16, 11 insistet — *et* — verberabit — quae*que* — dissipabit. Sat. I, 3, 24 stultus *et* improbus dignus*que*. Sat. I, 4, 90 comis *et* urbanus liber*que*. Sat. I, 5, 36 praetextam *et* latum clavum prunae*que* batillum. Sat. I, 5, 40 Plotius *et* Varius — Vergilius*que*. Sat. I, 6, 115 porri *et* ciceris — lagani*que*, Sat. I, 8, 39 Iulius *et* — Pediatia fur*que* Voranus. Sat. II, 5, 68 accipiet — *et* — leget inveniet*que*. Sat. II, 7, 93 urguent — *et* — subiectat stimulos versat*que*. Ep. I, 7, 11 descendet — *et* sibi parcet contractus*que* leget. Ep. I, 7, 46 strenuus *et* fortis causis*que* — clarus. Ep. I, 10, 7 rivos *et* saxa nemus*que*. (Ep. I, 15, 8.) Ep. I, 15, 31 pernicies *et* tempestas barathrum*que* macelli. Ep. I, 18, 6 agrestis *et* inconcinna gravis*que*. Ep. I, 19, 12 voltu ferus *et* pede nudo exiguae*que* togae tonsore. Ep. II, 1, 48 redit in fastos *et* aestimat — miratur*que*. Ep. II, 1, 203 ludi *et* artes divitiae*que*. Ep. II, 2, 81 desumpsit — *et* — dedit — insenuit*que*. Ep. II, 2, 120 vemens *et* liquidus puro*que* simillimus amni. Ep. II, 3, 208 agros extendere victor, *et* — amplecti murus, vino*que* — placari Genius. Ep. II, 3, 216 voces crevere —, *et* tulit — facundia — utilium*que* — non discrepuit sententia.

Cum his compono paucos illos locos, in quibus membra per *et* coniuncta unam partem videntur efficere, cui membrum per que particulam copulativam adiunctum oppositum est: qua in re tertii inprimis generis exempla inveniri neminem fugiet aut offendet. I, 1, 23 castra — *et* tubae sonitus, bella*que*. I, 3, 30 macies *et* — febrium — cohors semoti*que* — necessitas leti. II, 2, 21 regnum *et* diadema — propriam*que* laurum. II, 14, 3 rugis *et* — senectae indomitae*que* morti. IV, 4, 5. IV, 12, 25. Epod. 15, 7. Sat. II, 6, 14. Ep. I, 1, 78. Ep. I, 5, 14.

Nec multo maior est numerus eorum locorum, in quibus per *et* duo membra coniunguntur, quae ex omni parte paria sunt, per *que* coniunctionem tertium, quod cum altero artius cohaeret, additur. (I, 17, 1 Lucretilem mutat *et* — defendit aestatem — pluvios*que* ventos.) (I, 17, 27 ne — iniciat manus, *et* scindat — coronam immeritam*que* vestem.) II, 15, 11 Romuli praescriptum *et* — Catonis auspiciis veterum*que* norma. II, 19, 31. III, 27, 25. Epod. 13, 1. Sat. II, 6, 76. Sat. II, 8, 12. Ep. I, 9, 13. Ep. I, 17, 51. Ep. II, 3, 61 verborum interit aetas, *et* iuvenum ritu florent modo nata vigent*que*.

Eandem fere rationem invenimus, ubi primum et alterum vocabulum per *que* particulam, tertium per *et*, coniunguntur. I, 2, 38 clamor galeae*que* — *et* — voltus. I, 4, 16 nox fabulae*que* manes *et* domus. II, 19, 1 Bacchum — docentem nymphas*que* discentes *et* aures satyrorum acutas. II, 19, 14 coniugis honorem, tecta*que* Penthei — *et* exitium Lycurgi. II, 20, 21 neniae luctus*que* turpes *et* querimoniae. III, 4, 15 nidum Acherontiae saltus*que* Bantinos *et* arvum — Forenti. III, 5, 22 retorta brachia — portus*que* non clausas *et* arva. III, 6, 2 templa aedis*que* *et* simulacra. III, 16, 1 turris robustae*que* fores *et* vigilum canum — excubiae. III, 16, 29 rivus, silva*que* — *et* segetis fides. (III, 28, 13 Cnidon fulgentis*que* tenet Cycladas *et* Paphon — visit.) III, 29, 21 umbras — rivum*que* — *et* dumeta. IV, 5, 13 votis ominibus*que* *et* precibus. IV, 6, 1 proles Niobea — Tytios*que* — *et* Troiae prope victor. IV, 14 10 Genaunos — Breunos*que* — *et* arces. Epod. 2, 43 exstruat — claudens*que* — siccet — *et* — adparet. Epod. 5, 92 occurram — petam*que* — *et*. Sat. I, 3, 135 urgueris — miser*que* rumperis *et* latras. (Ep. I, 2, 44 quaeritur argentum pueris*que* creandis uxor *et* — pacantur — silvae.) Ep. I, 5, 26 Butram Septicium*que* *et* Sabinum. Ep. I, 16, 50

metuit foveam lupus accipiter*que* — laqueos *et* miluus hamum. Ep. I, 18, 49 famae vitae*que* *et* membris. Ep. II, 1, 71 emendata — pulchra*que* *et* — distantia. Ep. II, 1, 184 indocti stolidi*que* *et* depugnare parati. Ep. II, 3, 43 dicat — plera*que* differat *et* — omittat. Ep. II, 3, 162 gaudet equis canibus*que* *et* aprici gramine campi. Ep. II, 3, 165 sublimis cupidus*que* *et* — pernix. Ep. II, 3, 199 iustitiam leges*que* *et* apertis ostia portis.

His quoque exemplis illa pauca adiciamus, ubi per *et* membrum secundarium, per *que* primarium adiungi possit dici. (III, 21, 17 spem reducis — vires*que* *et* addis cornua pauperi.) III, 24, 60. IV, 1, 22. IV, 14, 39. Epod. 13, 4. Ep. I, 11, 9. Ep. II, 1, 45 utor permisso, caudae*que* pilos — vello — *et* demo unum. Ep. II, 3, 157. (Ep. II, 3, 200 ille tegat commissa, deos*que* precetur *et* oret, ut fortuna etc.) Ep. II, 3, 274.

Per *et* particulam primarium, per *que* secundarium verbum introduci videtur his locis: I, 10, 13 Atridas Thessalos*que* ignis *et* iniqua Troiae castra. (III, 11, 13 tigris, comites*que* silvas ducere *et* rivos — morari. Sat. I, 4, 58. Sat. II, 5, 99. Ep. I, 7, 78 videt ridet*que* — *et* — persuadet. Ep. I, 14, 9. Ep. I, 16, 25. Ep. II, 2, 193. Ep. II, 3, 93 vocem comoedia tollit iratus*que* — delitigat —; et tragicus — dolet. Ep. II, 3, 317.

Loci, in quibus et secundum et tertium membrum per *et* particulam coniunguntur, hi sunt[19]): I, 12, 41. II, 3, 13. 15. II, 6, 1. II, 14, 21. II, 15, 5. II, 16, 37. II, 20, 17. III, 6, 18. 22. III, 14, 7, 17. III, 19, 3. III, 24, 48. III, 26, 7. III, 27, 22. III, 29, 6. IV, 4, 38. IV, 8, 26. IV, 10, 3. Epod. 10, 16. 11, 9. Sat. I, 3, 13. (I, 5, 57.) I, 9, 75. II, 3, 244. II, 6, 2. Ep. I, 1, 11. 48. I, 5, 8. I, 6, 3. I, 11, 21. I, 14, 15. 42. I, 17, 23. II, 1, 113. 129. 163. 228. II, 2, 107. 183. II, 3, 72. 81. 159. 248. 375. 387. 423.

Et secundum et tertium per *que* particulam adiunguntur: II, 9, 20 tropaea-et-Niphaten, Medum*que* flumen — vertere vertices, intra*que* — equitare. II, 20, 14 litora Bospori, Syrtis*que* — Hyperboreos*que* campos. (IV, 9, 49 qui — uti duram*que* callet pauperiem pati peius*que* leto flagitium timet.) C. S. 17. Sat. II, 4, 3 Pythagoran Anyti*que* reum doctum*que* Platona. Ep. I, 7, 94 per Genium dextram*que* deos*que* penates.

Atque coniunctionis secundum et tertium vocabulum adicientis unum inveni exemplum Sat. I, 8, 48 altum S. caliendrum excidere *atque* herbas *atque* incantata lacertis vincula.

Plura *ac* (atque) secundae, *que* tertiae notioni particularum additarum exempla inveniuntur, ita quidem, ut neque ei quae per *ac* particulam adiungitur notioni maius momentum tribuatur, neque per *que* particulam explendi causa aliquid afferatur. I, 12, 15 mare *ac* terras variis*que* mundum. III, 11, 18 muniant angues caput eius *atque* spiritus taeter sanies*que* manet. (Ep. 16, 19 profugit — agros *atque* laris habitanda*que* fana) Sat. I, 2, 109 dolores *atque* aestus curas*que*. Sat. I, 5, 18 a+bc. Sat. I, 5, 31 Maecenas *atque* Cocceius Capito*que*. Sat. I, 6, 131 avus pater *atque* meus patruus*que*. Sat. I, 8, 34 serpentes *atque* — canes lunam*que*. Sat. II. 3, 182 In cicere *atque* faba bona tu perdas*que* lupinis. Sat. II, 7, 30. (Ep. I, 6, 38 a+bc.)

His adiungimus locos, quorum secundum membrum per *et*, tertium per *ac* particulam — nulla ea quidem manifesta sententiae et ponderis differentia — conectuntur. III, 25, 10 Hebrum — *et* — Thracen — *ac* — Rhodopen. Epod. 17, 2 regna per Proserpinae, per *et* Dianae — numina

19) Verba adscribere nolui, quia controversia in his exemplis esse non potest.

per *atque* libros. Ep. 17, 17 mens *et* sonus relapsus — *atque* notus in voltus honor. Sat. II, 3, 188 rex sum — *et* aequam rem imperito *ac* si — videor. Ep. II, 2, 141 sapere — *et* — concedere — *ac* non — sequi. Ep. II, 3, 70 a bc. Ep. II, 3, 202 (tibia) tenuis simplexque — adspirare *et* adesse utilis, *atque* etc. Ep. II, 3, 293 ab c.

Rarius aliae coniunctiones usu veniunt, quas nunc subicimus. Sat. II, 2, 57 est — *ac* parcit — *et* instillat. Ep. I, 18, 26 regit *ac* — volt *et* ait. Ep. II, 1, 32 pingimus *atque* psallimus *et* luctamur. [Sat. I, 3, 101 unguibus et pugnis, *dein* fustibus *atque* ita porro — armis.] — Sat. I, 3, 97 sensus mores*que* repugnant *atque* — utilitas. — (Sat. I, 5, 75 convivas — servos*que* — *atque* omnes.)

Particulae copulativae vice saepius fungi *cum* praepositionem notum est: sic III, 29, 2 merum *cum* flore rosarum *et* — balanus. Sat. II, 2, 121 uva *et* nux — *cum* — ficu.

Alterum membrum particula negativa aut disiunctiva coniunctum est his locis: I, 9, 13 fuge quaerere, *et* — adpone *nec* — sperne — neque —. II, 13, 37. (Epod. 15, 13 non feret — *et* quaeret — *nec* — cedet constantia.) — Epod. 8, 11 esto beata funus *atque* imagines ducant — *nec* sit. — II, 7, 17 redde — longa*que* — depone *nec* parce. Sat. II, 6, 107 cursitat — continuat*que* dapes *nec* —. I, 2, 45 redeas diu*que* — intersis *neve*. — (III, 1, 36 scandunt — *neque* decedit *et* — sedet cura.) III, 7, 29 claude *neque* — despice, *et* — mane. Ep. I, 18, 69 garrulus est *nec* — *et*. — (I, 25, 3 quatiunt — *nec* adimunt amat*que*.) I, 35, 18. II, 20, 1 ferar — *neque* morabor — invidia*que* maior — relinquam. III, 24, 13 (iugera) ferunt *nec* cultura placet — defunctum*que* — recreat. Ep. 12, 9 properat — *neque* illi — manet — iam*que*. — Ep. I, 7, 63 et — aut. — Sat. II, 7, 96 Fulvi Rutubae*que aut* Pacideiani.

Sequuntur exempla, quae et secundi et tertii membri particulam negativam aut disiunctivam exhibent: I, 22, 2 non eget — iaculis *neque* arcu *nec* — sagittis. II, 9, 9. II, 16, 7 non gemmis *neque* purpura — *nec* auro. III, 15, 14 non citharae — *nec* flos — *nec* — cadi. III, 24, 19. Epod. 10, 9 (insurgat aquilo) *nec* sidus adpareat — quietiore *nec* feratur aequore. Ep. I, 1, 101 putas — *neque* rides, *nec* — credis — nec. (Ep. I, 7, 34 resigno, *nec* — laudo, — *nec* — muto.) Ep. II, 3, 132 si non — moraberis *nec* — curabis — *nec* desilies — Epod. 1, 26 non ut — aratra nitantur pecus*ve* — mutet *neque* ut —. Sat. I, 3, 106 *ne* quis fur esset *neu* latro *neu* quis adulter. Sat. II, 5, 88 cautus adito *neu* desis operae *neve* immoderatus abundes. Ep. I, 16, 19 ne — credas, *neve* putes —, *neu* dissimules. — Ep. II, 3, 380 indoctus pilae disci*ve* trochi*ve*. — II, 16, 15 nec — aut a bc. — Epod. II, 49 non — Lucrina conchylia magis*ve* rhombus *aut* scari. (Sat. I, 3, 95.) Sat. I, 2, 133 nummi — *aut* puga *aut* — fama. Sat. I, 10, 78 moveat — *aut* cruciet — *aut* laedat. Ep. II, 1, 96 marmoris *aut* eboris — *aut* aeris. Ep. II, 3, 109 iuvat *aut* impellit — *aut* — deducit et angit. Ep. II, 3, 185 ne Medea trucidet *aut* — coquat — Atreus — *aut* Procne vertatur. Ep. II, 3, 453 scabies *aut* morbus *aut* fanaticus error *et*. — III, 4, 3 tibia *seu* voce — *seu* fidibus citharaque.

Frequentissima sunt ea exempla, in quibus Horatius secundam partem enuntiati sine particula posuit, tertiam per particulam adiunxit. Atque quoniam in anaphora, quae in plurimis invenitur, coniungendi quaedam vis inest, primo quoque loco exempla posui anaphorae, tum sequuntur illa exempla, in quibus prima et secunda notio nulla neque coniunctionis neque anaphorae vi coniunguntur.

I, 19, 5 *urit* — nitor, *urit* — protervitas *et* voltus. II, 8, 13 *ridet* — Venus, *rident* — nymphae ferus *et* Cupido. III, 4, 58 *hinc* — Volcanus, *hinc* — Iuno *et* — Apollo. III, 10, 5.

(III, 29, 17 *iam* — Andromedae pater —, *iam* procyon —, *et* stella.) IV, 7, 15 *quo* pius Aeneas, *quo* dives Tullus *et* Ancus. IV, 13, 10 *quia* luridi dentes —, *quia* rugae — *et* capitis nives. IV, 14, 33 *te* copias, *te* consilium *et* tuos — divos. Sat. II, 6, 61 *nunc* veterum libris, *nunc* somno *et* inertibus horis. Ep. I, 3, 21 *non* — parvum —, *non* incultum *et* — hirtum. Ep. I, 6, 50 *qui* dictet, — *qui* fodicet latus *et* cogat.

II, 16, 29 abstulit — mors Achillem, longa Tithonum —, *et* mihi — porriget hora. III, 3, 34 inire —, discere — *et* adscribi. Sat. I, 3, 105 absistere bello, oppida munire *et* ponere leges. Ep. I, 7, 53 abi, quaere *et* refer. 55 it, redit *et* narrat. Ep. I, 17, 46 indotata mihi soror, — mater, *et* fundus.

Sat. I, 4, 43 ingenium *cui* sit, *cui* mens — *atque* os. Ep. II, 2, 214 Lusisti *satis*, edisti *satis atque* bibisti.

I, 3, 1 *Sic* — potens Cypri, *sic* fratres Helenae — ventorum*que* regat pater. I, 19, 13 *hic* — caespitem, *hic* verbenas — tura*que* (cum patera) I, 31, 15 *me* — olivae, *me* cichorea leves*que* malvae. I, 34, 9 *quo* bruta tellus *et* —, *quo* Styx *et* —, Atlanteus*que* finis. II, 8, 21 *te* matres —, *te* senes — miserae*que* — virgines. III, 3, 55 *qua* parte — ignes, *qua* nebulae pluvii*que* rores. III, 4, 61. III, 12, 5 *tibi* qualum —, *tibi* telas — operosae*que* Minervae studium. IV, 6, 29 spiritum *Phoebus*, mihi *Phoebus* artem — nomen*que* dedit poetae. IV, 8, 13. Sat. I, 2, 50 qua res, qua ratio — qua*que* — licet. Sat. II, 3, 54 *ut* ignes, *ut* rupes fluvios*que*. Sat. II, 7, 112 *non* — esse potes, *non* — ponere, te*que* — vitas. Ep. I, 4, 6 *Di tibi* formam, *di tibi* divitias — artem*que* fruendi. Ep. I, 7, 5 *dum* ficus — *dum* — pallet, officiosa*que*. Ep. I, 12, 5 *si* ventri bene, *si* lateri est pedibus*que* tuis. Ep. I, 18, 11.

Epod. 2, 25 labuntur — aquae, queruntur — aves, fontes*que* — obstrepunt. Sat. I, 1, 29 caupo, miles nautae*que*. Sat. II, 7, 99 pugnent, feriant vitent*que*.

II, 5, 1 *Nondum* — ferre valet, *nondum* — aequare *nec* — tolerare. (II, 20, 5 nequaquam huc pertinet.) (IV, 4, 30 *est* in iuvencis, *est* in equis — *neque*.) III, 4, 26 *non* — acies, devota *non* — arbos *nec* — Palinurus. — I, 2, 49 *hic* magnos — triumphos, *hic* ames —, *neu*. — III, 30, 3 *non* imber — *non* aquilo — *aut* annorum series et fuga temporum. — Sat. I, 6, 38 Syri, Damae, *aut* Dionysi.

His locis adiungo quattuor exempla, quae qualia sint facile apparet: unum moneo in tertio et quarto primum alterumque membrum artius cohaerere cuivis esse perspicuum, in primis exemplis, si sententiam solam respiciamus utrumque membrum eandem vim obtinere. III, 1, 22 *non* humilis domos fastidit umbrosam*que* ripam, *non* zephyris agitata Tempe. IV, 13, 17 *quo* fugit venus, heu *quove* color decens? *quo* motus? Sat. I, 2, 66 pugnis caesus ferro*que* petitus, exclusus fore. Ep. I, 1, 20 *ut* nox longa —, dies*que* longa —, *ut* piger.

Ad tertiam partem trium membrorum coniunctorum veniamus, ad eam igitur, qua quodque membrum coniunctione est praeditum: in quibus enumerandis eundem atque supra ordinem sequimur.

I, 36, 1 *Et* ture *et* fidibus — *et* vituli sanguine. Ep. I, 6, 45 *et* multa supersunt *et* dominum fallunt *et* prosunt furibus. Ep. II, 1, 50 *et* sapiens *et* fortis *et* alter H. Ep. II, 1, 68 *et* sapit *et* mecum facit *et* — iudicat. — I, 9, 18 *et* campus *et* areae lenes*que* — susurri. (IV, 13, 2.) Ep. II, 3, 224 functus*que* sacris *et* potus *et* exlex. IV, 2, 41 laetos*que* dies *et* — ludum — forum —

que. C. S. 47 rem*que* prolem*que*, *et* decus omne. Sat. I, 3, 139 *et* mihi dulces ignoscent amici in*que* vicem — patiar — privatus*que* vivam.

Ep. II, 2, 195 *neque* sumptum — facias *neque* — labores, *ac* — fruaris. — I, 12, 21 *neque* te — Liber, *et* — virgo —, *nec* te — Phoebe. — III, 3, 25 *nec* — hospes, *nec* Priami domus — nostris*que* ductum — bellum. Sat. II, 6, 18 *nec* — ambitio — *nec* — Auster Autumnus*que*. III, 24, 36 *neque* fervidis — *nec* boreae — latus duratae*que* — nives. Epod. 2, 5 *neque* — excitatur *neque* horret — forum*que* vitat et. II, 12, 7 *nec* ferre — *nec* certare — *nec* dare. III, 1, 41 *nec* Phrygius lapis *nec* — usus *nec* — vitis Achaemenium*que* costum. III, 16, 33 *nec* — ferunt, *nec* — languescit, *nec* — crescunt. Sat. II, 2, 129 *neque* illum *nec* me *nec* quemquam. Sat. II, 7, 84 *neque* pauperies *neque* mors *neque* vincula. Ep. I, 11, 11 *neque* qui — *nec* qui —, *nec* si — vendas.

(Ep. II, 3, 189 neve — neu; nec — nec). — III, 12, 1 *neque* — dare ludum *nec* — lavere *aut* —. III, 23, 5 *Nec* — vitis, *nec* — seges — *aut* — alumni. Sat. I, 6, 68 *neque* avaritiam *neque* sordes *aut* mala lustra. Sat. II, 1, 13 *neque* — agmina *nec* — Gallos *aut* — vulnera Parthi. Sat. II, 2, 21 *neque* ostrea *nec* scarus *aut* — lagois.

(I, 21, 6 *aut* — Algido, — *aut* Erymanthi silvis *aut* — Cragi.) Epod. 9, 29 *aut* — Cretam iturus — *aut* petit Syrtis, *aut* fertur. Ep. I, 20, 12 *aut* tineas pasces — *aut* fugies — *aut* mitteris. Ep. II, 3, 333 *aut* prodesse — *aut* delectare *aut* — dicere. — (Sat. II, 7, 25 *aut quia* — *aut quia* — *et*.) Sat. II, 2, 131 *aut* nequities *aut* — inscitia —, *postremum*. — I, 12, 5 *aut* in — Heliconis oris *aut* super Pindo gelido*ve* in Haemo. — Epod. 2, 31 *Aut* trudit — *aut* — tendit — pavidum*que* — captat.

II, 17, 17 *seu* libra — *seu* — scorpios — *seu* tyrannus. III, 21, 2 *seu* — querellas sive — iocos, *seu* rixam et insanos amores, *seu* — somnum. Ep. I, 3, 23 *seu* linguam — acuis *seu* — paras *seu* condis. — I, 22, 5 *sive* per Syrtis — *sive* — per Caucasum *vel* quae loca — lambit. — Ep. II, 3, 63 *sive* — Neptunus — arcet, — sterilis*ve* — palus — alit *seu* — mutavit — amnis.

His locis adiungo duos locos, ubi *nunc* vice particulae copulativae fungitur. I, 37, 1 *nunc* est bibendum, *nunc* — pulsanda tellus, *nunc* ornare. III, 1, 30 *nunc* aquas — *nunc* sidera, *nunc* hiemes.

Haec fere habeo, quae tripartitae orationis exempla afferam: iam igitur ad ea, quae ex quattuor notionibus aut enuntiati partibus constant, veniendum est. IV, 1, 13 *et* nobilis *et* decens *et* — non tacitus — *et*. Sat. I, 3, 125 dives — *et* sutor bonus *et* solus formosus *et* est rex. Ep. I, 7, 57 *et* properare — *et* cessare, *et* quaerere *et* uti. — Ep. II, 1, 269 tus *et* odores *et* piper *et* quidquid etc.

III, 29, 36 lapides — stirpes*que* raptas *et* pecus *et* domos. IV, 15, 29 patrum duces — Troiam*que et* Anchisen *et* — progeniem Veneris. Sat. I, 8, 41 umbrae — resonarint, ut*que* — abdiderint *et* — arserit ignis *et* ut horruerim. — II, 19, 9 thyadas vini*que* fontem — *et* — cantare rivos *atque* — iterare mella. —

I, 15, 11 galeam — *et* aegida, currus*que et* rabiem. I, 15, 17 hastas *et* — spicula —, strepitus*que et* — Aiacem. IV, 9, 14 crinis *et* aurum — regalis*que* cultus *et* comites. Epod. 8, 7 pectus *et* mammae — venter*que* mollis *et* femur. (Epod. 17, 49 pectus *et* — manus, tuus*que* venter — *et* tuo cruore — lavit.)

III, 5, 10 anciliorum *et* nominis *et* togae — aeternae*que* Vestae. Epod. 16, 43 reddit ubi — *et* — floret —; germinat *et* —, suam*que* — ornat. — I, 28, 7 Pelopis genitor — Tithonus*que*

— *et* — Minos — habent*que* — Panthoiden. IV, 9, 6 Pindaricae — Ceae*que et* Alcaei — Stesichori*que* — camenae. — I, 12, 37 Regulum *et* Scauros, animae*que* — prodigum — Paulum — Fabricium*que*. III, 21, 21 Te Liber *et* — Venus, segnes*que* — gratiae, vivae*que* — lucernae. Ep. II, 3, 207 parvus, *et* frugi castus*que* verecundus*que*. — Ep. I, 7, 58 parvis*que* sodalibus *et* lare certo *et* ludis *et* campo. Ep. II, 3, 196 faveat*que et* consilietur amice, *et* regat — *et* amet. — I, 7, 13 domus Albuneae — *et* praeceps Anio *ac* Tiburni lucus *et* uda — pomaria. I, 14, 4 nudum remigio latus *et* malus — saucius —, antemnae*que* gemunt *ac* — vix durare carinae possunt. — III, 11, 25 scelus *atque* notas — poenas *et* — dolium — sera*que* fata. — Sat. I, 4, 1 Eupolis atque Cratinus Aristophanes*que* — *atque* alii.

III, 27, 1 parrae omen — *et* — canis, *aut* — lupa — feta*que* volpes. Epod. 9, 34 scyphos *et* Chia vina *aut* Lesbia *vel* — Caecubum. — Ep. II, 1, 5 Romulus *et* Liber pater *et cum* Castore Pollux. Ep. II, 3, 145 Antiphaten Scyllam*que et cum* Cyclope Charybdin. — Sat. II, 3, 73 Fiet aper, *modo* avis, *modo* saxum *et*, cum volet, arbor. — Sat. II, 7, 86 fortis, *et* in se — totus, teres *atque* rotundus. — I, 12, 29 defluit saxis agitatus umor, — concidunt venti fugiunt*que* nubes *et* minax — unda recumbit. — Sat. I, 10, 77 (69) detereret —, recideret —, *et* — scaberet, vivos *et* roderet. — Sat. I, 1, 85 vicini, noti, pueri *atque* puellae. Sat. I, 2, 93 depugis, nasuta, brevi latere *ac* pede longo est. Sat. I, 6, 60 narro; respondes —: abeo: *et* revocas. Ep. I, 15, 1 *Quae* — hiems —, *quod* caelum, — *quorum* — regio *et* qualis via. —

I, 6, 5 *neque* haec — *nec* gravem stomachum — *nec* cursus — *nec* — Pelopis domum. I, 16, 9 *neque* Noricus — ensis — *nec* mare — *nec* — ignis *nec* — Iuppiter. III, 10, 13 *neque* — munera *nec* preces *nec* — pallor amantium *nec* vir.

II, 18, 1 *Non* ebur neque aureum — lacunar, *non* trabes Hymettiae —; *neque* Attali —, *nec* Laconicae — clientae.

III, 1, 25 *neque* — mare, *nec* saevus arcturi — impetus aut — haedi: *non* — vineae fundus*que* mendax. III, 3, 2 *non* civium ardor —, *non* vultus — tyranni; *neque* auster — *nec* — magna manus Iovis. Sat. I, 2, 83 gestat, — ostendit, *nec* — iactat habetque palam, quaerit. Epod. 15, 19 Sis — dives — licebit tibi*que* Pactolus fluat, *nec* te — fallant arcana forma*que* vincas. III, 4, 22 tollor Sabinos *seu* — Praeneste, *seu* Tibur — *seu* — Baiae. (Sat. II, 2, 9 $\frac{a}{\alpha\ \beta} + \frac{b}{\alpha+\beta}$ *ve* — *vel* *seu* — *seu*.)

Eos locos, in quibus quinque aut plures voces concurrunt, similem in modum atque superiora exempla digessi: atque id ita, ut primo loco exempla collocarem, quorum omnia membra particulis copulativis praedita sunt, tum adicerem ea, in quibus anaphora invenitur; sequuntur enuntiata in quibus unum aut plura nomina sine particula posita sunt, agmen claudunt exempla negativae, mixtae, difficilioris coniunctionis.

I, 30, 5 puer *et* — gratiae —, properent*que* nymphae *et* — Iuventas Mercurius*que*. I, 32, 9 Liberum *et* musas, Venerem*que et* illi semper haerentem puerum canebat *et* Lycum. II, 1, 1 Motum — belli*que* causas *et* vitia *et* modos ludum*que* fortunae gravis*que* principum amicitias *et* arma. II, 13, 21 regna Proserpinae *et* — Aeacum, sedes*que* — piorum *et* — Sappho — *et* te — Alcaee. (II, 19, 9 constat ex 4 + 3 membris, quae vid. supra.) (II, 20, 1—8.) IV, 15, 5 aetas fruges *et* — rettulit — *et* signa — restituit — *et* Ianum — clausit *et* — frena licentiae iniecit, emovit*que* culpas *et* veteres renovavit artis. C. S. 57 fides *et* pax *et* honos, pudor*que* priscus *et* — virtus audet, (adparet*que*

beata — copia.) Ep. I, 6, 36 uxorem cum dote fidem*que* *et* amicos *et* genus *et* formam. Ep. II, 1, 251 res componere gestas, terrarum*que* situs *et* flumina dicere *et* arces montibus impositas *et* barbara regna, tuis*que* auspiciis confecta duella —, claustra*que* — cohibentia Ianum, *et* formidatam — Romam. Ep. II, 3, 83 divos pueros*que* deorum *et* pugilem victorem *et* equum certamine primum *et* iuvenum curas *et* libera vina. II, 3, 403 dictae per carmina sortes *et* vitae monstrata via est, *et* gratia regum temptata —, ludus*que* repertus *et* longorum operum finis.

I, 35, 5—12 post quater repetitum pronomen *te* urbes*que* gentes*que* *et* Latium ferox regum*que* matres — *et* — tyranni. (III, 4, 45 *qui* terram inertem, *qui* mare temperat — *et* urbis regna*que* tristia, divos*que* mortalis*que* turbas etc.) Epod. 5, 17 *iubet* — caprificos —, *iubet* cupressus —, *et* — ova —, plumam*que* —, herbas*que* — *et* ossa. Sat. II, 3, 215 huic vestem, — *paret* ancillas, *paret* aurum, Rufam — appellet forti*que* marito destinet. — Ep. I, 11, 1 Quid — Chios nota*que* Lesbos, *quid* — Samos, *quid* — Sardis, Smyrna *quid et* Colophon?

IV, 9, 35 (animus) rerum*que* prudens *et* secundis temporibus dubiis*que* rectus, vindex — *et* abstinens — consul*que*. Sat. I, 6, 34 cives, urbem —, imperium fore *et* Italiam *et* delubra deorum. Sat. I, 7, 6 durus — *atque* qui —, confidens tumidus*que*, adeo sermonis amari. Sat. I, 10, 89 (81) Plotius *et* Varius, Maecenas Vergilius*que*, Valgius *et* probet — Octavius — *atque* Fuscus *et haec* — Viscorum laudet uterque. Sat. I, 10, 93 (85) Pollio, te, Messala, tuo *cum* fratre, *simul-que* vos, Bibule *et* Servi, *simul* his te —, complures alios. Ep. I, 2, 15 seditione, dolis, scelere *atque* libidine *et* ira. Ep. I, 7, 83 fit rusticus *atque* sulcos — crepat —, praeparat ulmos, immoritur studiis *et* amore senescit. Ep. II, 3, 148 festinat *et* — rapit *et* — relinquit, *atque* ita mentitur, *sic* — remiscet. Sat. I, 2, 97.

I, 4, 1 solvitur — trahunt*que* —; *ac* neque iam — aut, nec —: iam — ducit Venus — iunctae*que* — gratiae. I, 4, 9 *nunc* decet (a) *aut* — *aut*; *nunc* et — decet (b) — *seu* — *sive*. — I, 7, 1 Rhodon *aut* Mytilenen, *aut* Epheson bimaris*ve* Corinthi moenia, *vel* — Thebas *vel* — Delphos —, *aut* Tempe. I, 9, 19 a + b (*a* vide supra) *nunc* — campus *et* areae, lenesque —; nunc — risus — pignus*que*. (I, 31, 17.) I, 36, 10 *ne* — *neu* sexies repetitum. II, 9, 1 Non semper imbres — manant —, *aut* — vexant — procellae —; *nec* — stat glacies — *aut* — querceta — laborant *et* — viduantur orni. II, 12, 1 Nolis — bella Numantiae, *nec* — Hannibalem *nec* — mare, *nec* — Lapithas *et* — Hylaeum, domitos*que* — iuvenes. III, 4, 53 *quid* Typhoeus *et* — Mimas *aut quid* — Porphyrion —, *quid* Rhoetus evolsis*que* — Enceladus. III, 4, 69 Testis — Gyes —, notus — Orion —; iniecta — Terra dolet —, maeret*que* partus —, *nec* peredit — ignis Aetnam; — *nec* Tityi iecur relinquit ales, — amatorem Pirithoum. IV, 1, 29 *nec* femina *nec* puer, — *nec* spes —; *nec* certare —, *nec* vincire. IV, 2, 10 *seu* — verba devolvit numeris*que* fertur —, *seu* deos reges*que* —; *sive* quos Elea — palma —, pugilem*ve* equum*ve* dicit et — donat, iuvenem*ve* — plorat, animum*que* mores*que* educit nigro*que* invidet. IV, 14, 41 Te Cantaber — Medus*que et* Indus, te — Scythes —, te Nilus*que et* Ister, *te* — Tigris, *te* — Oceanus, *te* — Galliae durae*que* tellus — Hispaniae, *te* — Sygambri. Epod. 2, 9 *aut* — maritat populos, *aut* — prospectat greges inutiles*que* — amputans inserit, *aut* — mella condit —, *aut* tendet — ovis. (*Vel* — ut gaudet.) Epod. 16, 3 neque — Marsi, — *aut* — Etrusca — manus; *nec* virtus Capuae *nec* Spartacus (novis)*que* — Allobrox; *nec* — domuit Germania —, (parentibus)*que* — Hannibal. Epod. 16, 26 *ne* — sit nefas: *neu* — pigeat — quando — *seu* — nova*que* — iuvet ut —, adulteretur *et* —; credula *nec* — timeant amet*que*

(a + b *(α + β + γ))* Sat. I, 1, 109 probet *ac* — laudet, (quod)*que* — tabescat, *neque* se *ABCD* comparet, — laboret. Sat. I, 4, 3 *quod* malus *ac* fur, *quod* moechus — *aut* sicarius *aut* alioqui famosus. Sat. I, 9, 31 *neque* — venena *nec* ensis, *nec* — dolor *aut* tussis, *nec* — podagra. (Sat. II, 1, 57 *seu* — *seu* — dives, inops, Romae *seu* — exsul a + b : c (α, β, γ, δ.) Sat. II, 3, 78 quisquis ambitione — *aut* — pallet amore, quisquis luxuria tristi*ve* superstitione *aut* — morbo calet. (Ep. I, 14, 21 $\alpha \overset{a}{\underset{et}{+}} \beta$ *et* b A $(\alpha \overset{et}{+} \beta)$ *nec* B *nec* C.) Ep. I, 17, 53 qui queritur salebras *et* acerbum frigus *et* imbres *aut* cistam — *et* viatica plorat.)

Longa est fabula. Iam quid doceat, videndum. Videtur autem id docere, Horatium nullam aliam atque ceteros suae aetatis scriptores *legem* esse secutum, id tantum, ut poetam, sibi libertatis sumpsisse, ut aliquoties vim, quae apud optimos scriptores in particulis videtur inesse, neglegeret et *que* et *et*, interdum etiam *atque* particulam promiscue usurparet.

Restat, ut de paucis locis, in quibus de particulis copulativis et de membrorum distributione cum Nauckio mihi non convenit, pauca disputem: de omnibus, quos adscripsi, aut quos aliter atque Nauckius accipiendos putavi, aut quos consulto omisi disputare longum est neque — ut videtur — operae pretium.

I, 7.

De hoc carmine, ut hoc loco disputem, eo adducor, quod non solum de aliis rebus, sed etiam de particulis pauca dicenda sunt. Ac primum quidem, si urbes, quas primis versibus Horatius celebrat, respicimus, videmus ab Horatio appellatas esse Rhodum et Mytilenen propter eximiam situs pulchritudinem, Ephesum et Corinthum propter summam mercatus et commercii celebritatem; sequuntur illa oppida, quae deorum cultu clara sunt, quibus oppidis adiecta est sancta illa et pulcherrima vallis Tempe. Itaque quoniam loca deis clara celebravit, ad clarissimarum dearum egregias sedes progreditur Athenas, Argos, Mycenas. Hunc usque ad locum omnia bene videntur procedere. Sed cur Lacedaemonem et Larissam appellavit Horatius? Quo iure dicere potuit *me nec tam patiens Lacedaemon — opimae, quam domus* etc.? Immo, bene si voluisset dicere, dicendum ei erat „*me* neque Rhodus neque Mytilene etc.“ At quam languida fuit talis aut similis oratio, quam ieiuna et frigida! Optime enim complectitur omnes, quas appellavit, his urbibus: nam quam sunt contrariae! Lacedaemo in meridionali parte Peloponnesi, Larissa in extrema Graeciae septemtrionalis parte sita erat, Lacedaemo altis undique montibus circumdata, ut usque ad extrema liberae Graeciae tempora moenibus opus esse non videretur, Larissa in apertissimo campo patebat, Lacedaemonis incolae quam duri et patientes, Larissae quam dissoluti et in luxuriam effusi. His igitur nominibus tota Graecia significari non potuit?

Omnibus autem illis locis praestare Tibur, ibi ut Plancus maneat, monet Horatius. Quo tempore id monere potuerit quaerendum est: itaque circumspiciendum est, cui vitae Munatii tempori apta videatur haec admonitio. Ex carmine ipso manifestum est, Munatium, cum poeta haec verba scriberet, *in castris* fuisse. Quoniam autem L. Munatius Plancus a. 54. legatus Caesaris fuit, apparet eum aliquot annis grandiorem natu fuisse, quam Horatium, qui cum post pugnam Philippensem in Italiam redisset, in eius consuetudinem videtur venisse. Neque alterum minus verisimile est et ex carmine ipso conici potest, fuisse *in Italia*, cum Horatius carmen ad eum mitteret, Munatium. Fuit autem — nam illorum temporum memoria non minus quam Munatii

vita satis aperta est atque explicata — *in castris Munatius in Italia* nullis temporibus praeter a. 42—40. Itaque a veritate abhorrere non videtur illis temporibus Munatium ab Horatio monitum esse, ut in Italia remaneret atque Octaviani veniam impetraret: id autem suadere non potuit, nisi priusquam res ad summum venisset, illo igitur tempore cum Agrippa condiciones ferebat[20]), non illo tempore, cum in eo erat, ut Plancus cum Fulvia in Graeciam fugeret. Quod si Franke, v. d., contendit, componi illud carmen non potuisse, priusquam Plancus ad Octaviani partes transisset, toto carmine nihil reperio, cur ita statuendum sit: quid quod verba *seu te — castra tenent* aperte huic sententiae repugnant? Quae cum ita sint, optimo iure nobis videmur opinari neque ante annum 41. neque post deditionem Perusiae hoc carmen ab Horatio ad Munatium Plancum datum esse, sed eo tempore, quo ille inter Octaviani rem et Antoni animum ancipitem gerebat. Quam sententiam etiam *metri* forma videtur probare: idem enim metrum est atque epodi 12. et carminis 28. quod quidem carmen, quamquam varie et interpretantur et explicant, omnes, quod sciam, homines docti in primitiis Musae Horatianae collocandum esse censent. Neque in ea re Kiesslingi subtilis me movet disputatio censentis[21]) imitationem esse alteram carminis partem Vergilianorum versuum Aen. I, 195—206, Vergilium autem versus Homericos imitatum. Qua in re quamquam de similitudine consentio, id quaero, cur Horatius, quem Homerum memoriae bene mandatum habuisse nemo negat, illis primis temporibus quibus magis quam postea ex Graecis penderet, Homerum ipse imitari non potuerit. Ad ultimum venio. Cur Teucri exemplum propositum sit, quaeritur. Quod potuit proferre amplius, gravius, honorificentius? Teucro est in fabulis culpae esse tributum, quod non satis pie erga fratrem se gessisset; Munatio item scriptum legimus vitio esse datum, quod frater in proscriptionibus occisus esset. Nolo plura de hac re dicere, quia iam supra significavi neque ex Vellei auctoritate Munatium esse condemnandum neque tanta laude, quanta Kiesslingius censeat, eum esse dignum. Huius igitur rei memoria et tristitia saepe cum omnium rerum publicarum taedio animum Munatii videtur subisse, unde, ut eum excitaret, quod exemplum magis idoneum potuit proferre Horatius, quam Teucri illius herois et *fratris* amore insignis et sine ulla sua culpa a patre propter impietatem in fratrem editam in exsilium expulsi?

Sed ad particulas redeamus. Ac primum quidem quomodo in primis versibus membra distribuenda sint ex eis, quae supra disputavimus apparet: quod si ad versum 13. Nauckius per *ac* particulam secundum membrum suppleri dicit, non satis apte videtur iudicare, nam id tum solum verum esset, si in illo luco fuisset, ut Anienis aquae deicerentur: nunc vero inter omnes constat in media urbe Anienem praecipitem se dedisse, lucum extra urbem fuisse. Quae cum ita sint, non tres, sed quattuor res hoc loco appellari dicendum est, domum Albuneae, Anienis casum, Tiburni lucum, pomaria: *ac* particulam autem ab Horatio variandae orationis causa esse positam.

Similiter iudicandum est I, 28, 2 ubi non *duae*, earumque altera bipartita, sed *tres* partes accipiendae sunt: nam id certe poeta secum non reputavit ex mari et terra orbem nostrum terrarum constare — cui quomodo opponi potuerit *harena* nemo videt — sed illa, quae difficillima omnibus videntur esse ad metiendum mare, terram, harenam — quippe quam in conspectu habeat is, qui loquitur — emensus esse dicitur Archytas.

Eadem res est III, 4, 45 ubi Horatius imperii Iovis magnitudinem, ut celebret, tres illas partes appellat mare, urbes, regna tristia. Artificiosa sane videtur ea explicatio, qua mare urbes

20) Drumann, Gesch. Roms I, 413.
21) l. l. p. 61.

que, quod supra terram sint, opponuntur regnis tristibus, quasi non ab initio fabulae tres illae partes *terra*, *mare*, *inferi*, quarum, cum suum quaeque dominum habeat, summam potestatem Iuppiter habere dicitur, eodem iure utantur.

His locis addit Nauckius IV, 5, 13 votis ominibusque et precibus. Qua in re id laetor, quod ipse ille vir doctus Livii a cuius usu particularum, nisi metri vinculis coactum, Horatium non multum recedere supra monui, mentionem fecit. Sed quam alia in tanta verborum similitudine loci Liviani res sit, operae pretium est cognoscere. Apud Livium enim praef. 13 haec exstant: *cum bonis potius ominibus votisque et precationibus:* qua in re et apertum est et ab editoribus monitum *bona omina* (*εὔφημα ἔπη*) explicari vocibus *votisque et precationibus*. Saepe autem a Livio per *que et* particulas notiones duas arte coniungendas conecti docuerunt H. Müller ad. l. l., Weissenborn ad I, 43, 2. Iam quivis videt tale quid in loco Horatiano statui non posse neque ominibus et precibus voces artius coniungendas atque ex adverso *votis* vocabulo ponendas esse. Immo, si quid video, tres habemus notiones eodem ponderis momento praeditas: vota quae mater facit, ut felicem iuvenis reditum impetret, omina quae captat de reditu, preces quibus deos implorat: hae autem tres ita coniunguntur, ut post alteram vocem *que* addatur, sequatur ante tertiam *et* particula.

Venimus nunc ad Epod. 13, 1, cuius loci iam supra mentionem fecimus. Quo in loco ut concedamus dici posse *imbris contrahere*, quia praecedit *caelum contraxit*, ita tamen ut alia subiciatur notio, quod ea tantum condicione probarem, si nulla omnino alia inveniri posset interpretatio, causae quas attulit Nauckius, nullae videntur esse. Quo enim modo hoc loco finis versus Horatium impedivit, quominus partem enuntiati in priore, alteram partem in posteriore versu collocaret? nolo diversi metri versus, quos possum plurimos, sed simillimi metri exempla pauca afferre Epod. 12, 23. 16, 17. 23. 27. 65: de eis, quae de *et* et *que* dixit, hoc loco taceo, quia earum particularum res agitur, id moneo I, 15, 12. 28, 1 non plane similes esse locos, neque a nobis non aliter explicari. Neque Graecum carmen, ad cuius exemplum Horatius suum composuit, proferre Nauckius debebat: nam neque unquam tam accurate ille verba Graeca expressit, ut singula singulis responderent, neque omnino quid ab Anacreonte scriptum fuerit, satis constat — ex coniectura scripta sunt, quae Nauckius scripsit. Quid quod Bergkius ipse in novissima, quod sciam, editione haec edidit, *νεφέλης δ᾽ ὕδωρ ὄμβριον Δία τ᾽ ἄγριοι χειμῶνες κατάγουσιν*: quibus verbis multo melius nostram, quam Nauckii sententiam respondere, quivis videt. Denique quae mira est dicendi ratio, tempestas caelum contraxit et imbres collegit, Iuppiter *ruit magnis nivibus*. Hanc enim distinguendi rationem si sequimur, quin inter imbres et nives distinguamus, imbres tempestati, Iovi nives tribuamus fieri non potest, id quod ne illum quidem virum doctissimum voluisse extrema annotatio declarat.

Difficillimo illo in carmine II, 20, cuius explicationem magis speciosam, quam venustam nuperrime protulit Plüssius, vir de aliis carminibus Horatianis optime meritus, item duo membra esse Nauckius contendit in versu 9. sequ., eorumque primum bipartitum. Tria sunt: primum enim crura asperis pellibus — quas calceamenta esse quis credit? — vestiuntur, tum superiores partes, ut recte explicat Nauckius, caput et collum, oloris figuram induunt, denique digiti umerique plumis circumdantur. Itaque cum neque in partibus corporis neque in eis, quae fiunt, rebus quidquam insit, quod priora membra artius coniungat, causam illius divisionis probare non possumus. —

illae
uem

tor.
ion
ine
nt:
bus
vi
en-
et
uid
nt
nae
et

in
en
er
is
su
e
a-
r-
is
e-
t.
[illegible]
ii
n-
i-
n

u
e

